



PROVIDAM DEI  
CIRCA PECCATA HOMINVM  
CVRAM,

SANCTISSIMO ADSISTENTE NUMINE

SVB MODERAMINE

DN. JOH. GVILIELMI BAJERI,  
S.S. THEOL. D. EJUSD. FACVLT. IN  
INCLYTA AD SALAM ACADEMIA P.P.  
ET h.t. DECANI,

*Domini Patroni, Praeceptoris, Studiorumque suorum  
Promotoris, atque Hospitis omni Observantia  
cultu obsequiosè colendi,*

DISSERTATIONE PVBLICA

PIE OSTENDET

AUCTOR

REINERVS VERWEY,  
WOERDA BATAVVS

VI. EIDVS Martii, Anno c1c 1cc LXXXIIX.

IN AVDITORIO MAJORI. März 1688

---

JENÆ, Litteris GEORGI HEINRICI MÜLLERI.



V I R O  
 ADMODUM REVERENDO. AMPLISSIMO  
 ATQVE. GRAVISSIMO  
 DNO. JOHANNI. BAERS  
 ECCLESIAE. AVGVSTANÆ. CONFSSIONI. ADDI-  
 CTÆ. APVD. VLTRAJECTENSES. PASTORI. VIGI-  
 LANTISSIMO. OPTIMEQVE. MERITO  
 AVVNCVLO. MEO. PATRIS. LOCO. FILIALI. CERTE. ET. SI. QVA  
 MAJOR. EST. OBSERVANTIA. PROSEQVENDO  
 SALVTEM. ET. OBSEQVIA

**F**acturum me opere pretium, VENERANDE DNE. AVVNCVLE,  
 si Nobilissimam ex Theologia materiam de PROVIDA DEI CIRCA PEC-  
 CATA HOMINVM CVRA perscripserim, satis scio. Fecundiora alia ex-  
 tra Studii hujus limites multi reperire queant: sed an & præstantiora, aut cer-  
 tè digniora, nec satis scio: nec si sciam, dicere ausim. Utcumque erit, juvabit tamen  
 rem hanc præclaram, cui me omnino parem esse non sentio, tuo jussu aggredi. At vulgata  
 nimis, & in quæres cumq; inciderim, quæ sint neq; voluptati legere, neq; cultui legisse, neq;  
 usui meminisse, alba, ut dicitur, linea, sine cura discriminis nec convertere, nec solam copi-  
 am sectari, in animo est. Nam Heracliti Ephesii viri summè nobilis verbum cordi habeo: quod  
 notatu dignum, & ita est: Πολυμάθην νόον & διδάσκει. Sed autem inquit alii, melius &  
 uberius ista veteres: Multa ex istis fateor: nego, quod universa. Quid? ideoq; exercitium hoc  
 meum est, ut quid legerim hic ordine ostendam. Atq; ea su causa, quare utar Agellii ver-  
 bis: & à re, si tibi fortè nonnunquam tempus, voluptasq; erit Lucubratiunculas istas cognosce-  
 re, petitem impetratumq; velim, ut in legendo, quæ pridem scieris, non asperneris quasi nota in-  
 vulgataq; . Nam & quid tam remotum in litteris est; quin id tamen complusculi sciant. Dixi  
 Lucubratiunculas: nam & priorem meam DE VNCTIONIBVS GENTILIVM tuo nomini in-  
 scripsi: cui ut hanc ante jam instans iter iterum inscribam animus impellit. Mei etiam hæc sunt  
 officii: imò plura, si quæ possem, lubens merito præstarem. Nam innumeris meoq; beneficiis in  
 me paterno animo collatis. Tu enim post parentum obitum (quos cheu! dix nos!) alter mihi pa-  
 rens: vere non blandè sic te adpellem. Sumptus ad studium, publicè fateor, & quæ non & erogasti nu-  
 berim: nec plura non promisisti. Mei proinde, tenuis tamen ob atatem ingentis fructum ei noq;  
 repetas per velim. Si igitur hæc exercitia pignora & obsides mei ergate grati animi. Quæ tibi  
 & accepta esse mihi tum firmiter constabit, quum abs te, REVERENDE AVVNCVLE, serena  
 fronte suscepta intellexero. VALE. Scribebam Jena VI. EIDVS Martii A. R. M.  
 c. 1700 LXXIX.

Tuus observantissimus  
 REINERVS VERWEY, AUCTOR.



EXIMIO ac DOCTISSIMO  
DOMINO  
REINERO VERWEY,  
S. Theol. Cultori pio, sedulo, felici  
JOH. GVILIELMVS BAJERVS, D. P. P.  
S. P. D.

**B**lennium propè est, quòd  
TE JENA nostra sinu suo rece-  
ptum tenuit; quem Batava tel-  
lus literarum variæque scientiæ  
peritiâ instructum huc dimiserat,  
ut auctis ingenii dotibus redeuntem excipe-  
ret. Ac TE quidem consilii hætenùs non pœ-  
nituit: gratum potius est, in hac sacræ &  
secularis doctrinæ officina, excolere potuisse  
animum, & conatum honestorum testimo-  
nia heïc non solum relinquere, sed & referre  
domum. Certè industriâ cum æqualibus  
facile certasti: nec paucos præcurristi. Vi-  
tæ etiam tranquillitate & moribus à seculi  
vanitate alienis apertè hætenùs declarasti,  
quis scopus actionum tuarum sit; & quæ  
studia, quibus animum consecraveris. Præ-  
sens verò Tua Dissertatio, quâ Providentiam  
A 2 Dei



DEI CIRCA MALAS HOMINUM ACTIONES OCCU-  
PATAM TRACTAS, SUI QUIDEM ARGUMENTI DI-  
GNITATE SE FACILE COMMENDAT: SIMUL AUTEM  
& RELIGIONEM, QUAM DEO OPTIMO MAXIMO  
SERVIAS, & AMOREM SINCERAE DOCTRINAE, COL-  
LECTAMQUE ERUDITIONIS SUPPELLECTILEM, & MEN-  
TEM PROVIDAM, SEU FUTURIS USIBUS MATURE  
CONSULENTEM, ITA PRODIT, UT LAudem & GRATU-  
LATIONES BONORUM HAUD AEGRE CONSEQUARIS.  
Quae dum mens mea meditatur, profecto  
TE DIVINAM PROVIDENTIAM IN HIS OMNIBUS NITI  
AC DIRIGI, QUASI OCULIS SPECTAT. ITAQUE & HANC  
TIBI TAM FAVENTEM MERITO VENEROR, & UT PER  
OMNEM SECURAE VITAE CURSUM TE SUSTENTET  
AC ROBORET, IMMO PRORSUS FELICEM ESSE JUBEAT,  
TOTUM PECTORE OPTO & PRECOR. NEQUE ALITER FU-  
TURUM EST, QUAM UT DEO CURAE SIS, AMICE,  
CUI CURA DEI, QUAM RES HUMANAS, & IN HIS  
ETIAM MALAS ACTIONES SPECTAT, CURAE CORDIQUE  
EST, & UT SPERO, SEMPER ERIT. ITA VALE IN  
DOMINO, IN QUO OMNES VIVIMUS MOVEMUR  
& SUMUS. Scrib. Jenae a. d. V. Martii  
A. C. clō Idc LXXXIIX.

J.N.I.C.





I. N. I. C.

CAPUT I.

*Nihil hic geri, nisi Providentia nutu. Quod negant Epicuræi: (ubi obiter dictum de Stoicorum fato) dubitant sæpè ipsi pii: At probant Sacra volumina.*

**H**Uccine mundum temerariis agi fortuitisq; casibus putas, an ullum credis ei inesse regimen rationis? Hac rogatione mentis Boëthii statum, ut qui modus illius curationis esset, intelligeret, attingebat atque tentabat reverendi admodum imò divini vultus mulier illa, in cujus ab adolescentia Laribus versatus fuerat, Philosophia. Cui, in salubriori, quam olim Epicuræi, sententia locatus, \* nullo, inquam, existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem presidere Deum, cunctaq; divinæ rationi subdita scio, nec unquam strit Deus ut ab hac sententia veritate depellar. Quibus vero in hoc rationibus accedit allegatus auctor lib. III. breviter exponit: *Mundus, inquit, hic ex tam diversis contrariisq; partibus in unam formam minimè convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret: conjuncta verò naturarum ipsa diversitas, invicem discors dissociaret, atque divelleret, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret. Non tam verò certus nature ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. Hoc, quicquid est, quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo, DEUM nomino.*

\* verba Boëthii lib. I. de cons. phil.





Accedit ad hujus Christiani rationem Christiana certè probatio hominis gentilis Senecæ, quam in Epicuræos libello de Providentiâ effulminat hisce verbis: *Supervacuum est, in presentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & que casus incitat, sæpè turbari & cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere eterne legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum, & ex dispositione lucen-  
tium: non esse materia errantis hunc ordinem: neque que temerè coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus se-  
deat immotum, & circa se properantis cœli fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum sentiant; ut ex minimis seminibus nascantur ingentia &c.* Huic veræ tamen sententiæ resistunt duo scopuli: peccantes nempe I. in defectu I. Epicuræi, ac cuncta fortuito ferri casu somniantes. Nam dari contingentia cum concedant, nullam admittunt providentiam: sed Deum tum in maximis tum in æternis degere voluptatibus sine ulla rerum humanarum curâ, quasi Deo laboriosissimâ, statuunt. Uti patet ex Senecâ in Hippolyto, \* Epicuri sententi-  
am probè adducente, cum inquit:

*Res Humanas ordine nullo  
Fortuna regit, spargitque manu  
Munera cœca, pejora fovens.*

Cui accedit Plinii illud: \* *Irridendum verò, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve? Minimè, ô fatui! clamant enim clarè & loquuntur creata, quocunque oculos convertas, mortalia & immortalia, sublimia & terrena, quiddam super nos esse, quod hæc tam mira, tam magna, tam multa creavit fecerit: & creata, facta etiam nunc dirigat & conservet. Id autem est Deus, cujus summæ & perfectissimæ naturæ nihil magis convenit, quam ut curam tutelamque operis sui gerere & velit,*  
&

\* aët. III.  
v. 974.

\* lib. II. hist.  
nat. cap. VII.



& possit. Quidni autem velit? optimus est. Quidni possit? Maximus est. Adeoq; vires nullæ supra ipsum, aut nullæ nisi ab ipso. Nec dstringit eum, aut distinet magnitudo hæc rerum, labor, aut varietas. Spargit enim æterna illa lux quoquo versum suos radios: & uno, eodemque, ut ita dicam, ictu sive nictu sinus omnes & abyssos penetrat cœli, terræ, maris. Nec præest solum divinitas hæc rebus omnibus, sed interest, imò intus est. Quid miramur? Sol ille, quantam mundi partem simul illustrat & illustrat! nostra mens quantam congeriem rerum una cogitatione complectitur & sensu? & ô rigidi! non censemus plura inspicere & concipi ab eo posse, qui hunc ipsum solem, hanc ipsam mentem creavit & fecit. Quin Ethnicus ipse ille Aristoteles \* Diis regimen esse laboriosum dicere abstinuit. Patet ex illius egregiis vel divinis potius verbis: ὅπερ ἐν νηὶ μὲν κυβερνήτης, ἐν ἄρματι ἢ ἡνίοχος, ἐν χορῶν ἢ κορυφαίος, ἐν πόλει ἢ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ ἢ ἡγεμῶν, Ἰστέο θεὸς ἐν κόσμῳ, πλὴν καθ' ὅσον τοῖς μὲν καματηρὸν τὸ ἄρχειν πολυκινήτων δὲ καὶ πολυμέμενον, τῷ δὲ ἄλυπον, ἀπονόν τε, πάσης κεχωρισμένον σωματικῆς ἀδενείας. Quod in navi Gubernator, in curru auriga, in choro presultor, in urbe lex, in exercitu imperator, id in orbe est deus: hoc tantum discrimine. Quod illis quidem laboriosum suum regimen, anxium, & exercitum est: Deo autem sine dolore, aut labore, sejunctumq; ab omni corporis nisu. Plutarchus quoque \* Platonem explicans, Deum ait mundi esse patrem: nullus autem pater, qui filium, quem semel genuit, negligat. Ita enim fame patris incuriâ, ac tabe consumtus miserrimè interiret: ideoque conservatione potius indiget, qua in illo statu, in quo semel est constitutus, servatur. Nec aliter se res habet cum Deo, mundi que hac compage; quæ illicò corrueret, ni æterna illa atque provida mens manum injiciat adiutricem, vel, quod magis politè, conservatricem. 2. Impii, protervia, ac cordis duritie Deum negligentes. Ps. XCIV. 7. Jef.

\* ( seu alius  
Auctor libri  
de Mundo )

\* Sympos.  
VIII. probl. 1.



Jes. XXIX. 15. casu se natos esse prædicantes Sap. II. 2. atq̄  
 ideò petulantia omni, improbitati, carnisque cupidita-  
 tibus dediti. Sap. II. 6. 7. 9. II. in Excessu Stoici: qui dari  
 providentiam cum non negent, nulla tamen contingen-  
 tia concedunt, sed inevitabili ideò necessitate omnia eve-  
 nire dicunt: aliàs enim Dei voluntas aut falleretur, aut  
 mutaretur. Hoc Stoicorum fatum sua Princeps philo-  
 sophia Chryssippus definit apud Agellium\*. ubi in libro  
 τῶν περὶ θεοῦ quarto εἰμαρμένῳ esse dicit Φυσικῶν σύνταξιν  
 τῶν ὅλων ἐξ αἰδίου τῶν ἐτέρων τοῖς ἐτέροις ἐπακολουθῶντων, καὶ  
 μετὰ παλὺ μὲν ἐν ἀποφραδαῖς ἕσσης τῆς ποιῶντος συμπλοκῆς:  
 Ac quamplurimis aliarum opinionum auctoribus, pecca-  
 ta igitur hominum non esse eorum voluntatibus condi-  
 cenda, sed necessitati cuidam & instantia, quæ oritur ex  
 fato, per quod, quicquid futurum est, necesse sit fieri, ipsi  
 obstrepentibus, contra ea tenuiter multa & argute osten-  
 dit, quomodo tamen sit in nobis consilii judicii que no-  
 stri arbitrium: prolixiora quidem, ut hic adducantur, &  
 digniora tamen ut à Lectore eò ablegato evolvantur.  
 Quod autem ad Stoicorum de fatali illa necessitate attinet  
 opinionem, non conceditur illa ab Orthodoxis ratione  
 consequentis, sed consequentia. \* Et certè non abeunt quæ-  
 dam in Stoicorum doctrina prorsus à recto aut vero, si sa-  
 ne & modeste interpretere: equidem improvidi re-  
 perias etiam multa: nec tamen omnia habent impia, sed  
 multa etiam saniora & tam piè dicta, ut calumniari ea  
 nec calumnia ipsa possit. Multa igitur ἠδὲ ἄδοξα non ἄδο-  
 ξα. Imò illud quidem elogium serio Stoicorum genti dat  
 Magnus ille Lipsius, & verè sapiens, in sua Constantia: \*  
 Non aliam Sectam majestatem suam & providentiam Deo magis  
 adseruisse: non aliam homines ad æthera illa & æterna traxisse ma-  
 gis. Et lepide sanè venustèque pergit: in fatalis hujus sta-  
 dii decursa si quid lapsi: credo, à laudabili bonoque studio fuit, cæcos  
 mortales à cæca Dea revocandi. Fortunam (pudor Christiani  
 nomi-

\* lib. VI.  
 cap. II.

\* Vid Meisn.  
 Ant. Disp. 21.  
 Q. 12 th. 116.  
 Gerh. Disp.  
 Isag. XVI.  
 Cap. II. th.  
 9. & Scherz.  
 Syst. in loco de  
 Deo §. 13.

\* lib. I. cap.  
 XVIII.





nominis, ) *inquit, cuius non solum numen ab iis fortiter explō-*  
*sum, sed & \* nomen.* Cum igitur hæc de negatione præci-  
 puè Providentiæ summi Numinis dicta fuerint, ad reli-  
 qua progredior. Dubitatur etiam de illa sæpe ab ipsis  
 piis: quum cernunt I. se, in feriis tentationibus. Sic  
 continuato dolore delatavit Assaph. Psal. LXXVII. 8. 9.  
 multo exclamavit angore Zion, Jesh. XLIX. 14. (cui tamen  
 Deus respondet: Psal. CXXXVII. 5. 6.) lamentabili con-  
 questus voce est Habacuc. cap. I. 14. II. Malos verò &  
 improbos, in prosperis. Job. XXI. 7. Ps. LXXIII. 2. 3. 4. Jer.  
 XII. 1. 2. quorum autem si finem respiciant, convincuntur:  
 Ps. LXXIII. 17. 18. 19. Jer. XII. 3. Ps. LII. 8. 9. Venio nunc  
 tandem à velitatione ad veram seriamq; pugnam, & omis-  
 sis levibus istis naturæ telis & lusoriis, ad decretoria ar-  
 ma, sacra nempe volumina: Milites copiasque meas om-  
 nes ordine, & sub signis inducam: quarum triplex mi-  
 hi agmen. Primo pugnabo & propugnabo, dari Provi-  
 dentiam, disertis dictis: secundo claram eam esse exem-  
 plis: postremo nec negandam, nec dubitandam ob varia  
 facta contra naturam miracula. Quæ copix si locis suis  
 aptè pugnant, & repugnant: etiamne resistere mihi ultra,  
 aut os obvertere audebit hostilis exercitus? non audebit.  
 Vici. & cum hoc omine signa canant. Quis igitur Deo no-  
 stro similis, qui incolit sublimia, humilia verò respicit in cælo &  
 in terrâ. Psal. CXIII. 5. 6. (Elegantior autem lingua Sacra:  
 וְכִי יִשְׁפֹּר לְרַחֵם בְּשֵׁמִי וְכִי יִשְׁפֹּר) *huc usq; operatur.*  
 Joh. V. 17. αὐτὸς διδῶς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα.  
 Act. XVII. 25. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινῶμεθα καὶ ἐσμεν. ὡς  
 καὶ πῆρες τῶν ποιητῶν εἰρήκασι τὸ γὰρ καὶ γένεθ' ἐσμεν. v. 28.  
 Φέρεται τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Hebr. I. 3.  
 Itaque *ma, o pater, cuncta gubernat providentia.* Sap. XIV. 3.  
 Ne autem vaga & libera nimis probatio mea sit, sed ad-  
 ductis habenis maneam in præcipuis: nonne satis pro-  
 videntiam videmus ex mira illa ab aquarum vi conser-

\* uti & ab  
 Augustino  
 lib. IX. Retract.  
 cap. I.

**B** vatio-





vatione Noachi. Gen. VI. 18. Mosis. Exod. II. 5. ab igne Lo-  
 thi. Gen. XIX. 12. Quibus addas Josephum. Gen. XLV. 5.  
 nec non universam Israëlitarum in deserto turbam. Quin  
 levi percurrat pede miracula, solis stantis. Jos. X. 12. re-  
 tro currentis. 2. Reg. XX. 11. obscurati. Luc. XXIII. 44. Ignis  
 non urentis. Exod. III. 2. Dan. III. 29. aquæ I. stantis, in-  
 stantur muri. Exod. XIV. 21. consurgentis in unum acervum.  
 Jos. III. 16. divisæ in partem utramque. 2. Reg. II. 8. II. fluen-  
 tis, ex petrâ. Exod. XVII. 6. & dente. Jud. XV. 19. III. muta-  
 tæ, in sanguinem. Exod. VII. 20. in vinum. Joh. II. 9. Quid,  
 quod ferrum nataverit. 2. Reg. VI. 6. asina vocem huma-  
 nam ediderit. Num. XXII. 30. corvi aliàs furaces Eliæ ta-  
 men alimenta attulerint. 1. Reg. XVII. 6. leones voraces,  
 ac aliàs è raptò vivere soliti, Daniele tum fame perciti  
 non læserint. Dan. VI. 23. Imò quis non obstupesceret,  
 cum audiat Providentiam hæc talia loquentem procuras-  
 se? *Deduxi vos (Israëlitas) annos XL per desertum, non invete-  
 raverunt vestimenta vestra, quin tegumento essent vobis, neque cal-  
 ceus tuus inveteravit, quin tegumento esset pedi tuo. Panem non  
 comedebatis, nec Vinum aut potum inebriantem bibebatis; ut co-  
 gnosceretis me Jehovam esse Deum vestrum.* Deut. XXIX. 5. 6. ἀ-  
 γ-  
 του καὶ τὰ ἄρτυρα ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν. Joh. VI. 31. quibus  
 conf. Exod. XVI. 15 16. Mosen absque cibo & potu XL  
 dies totidemque noctes sustentavit in monte. Exod.  
 XXXIV. 28. Eliæ cibum præbuit, cujus vi sustentatus  
 quadraginta dies & totidem noctes progressus est. Ea  
 memovent ut exclamem : רבות עשרת אתה יהוה  
 אלהי נפלאותך ומחשבתך אליהו חן ערך אליך  
 Psal. XL. 6. : אֲנִידוּ וְאֶכְרַרְוּ עֲצָמוֹ מִסֶּסֶר  
 Illa nubem omnem dubitandi negandique cunctis ab ani-  
 mo dispellunt. Quæ si quis vera fatetur (& fateatur  
 necessum est, nisi rationem omnem exuit & sensum) il-  
 lud quoque ad fateatur : (ne, quaeso, mihi quis succen-  
 seat





scat, me sapius uti & posthac usurum J. Lipsii verbis. De  
elegancia enim ac venustate, certè si quid demerem non  
adeò minutè peccasse me arbitrarer, imò fecisse indignè.)

\* de Const.  
lib. 1.

\* *Esse igitur in Deo, fuisse, fore* PERVIGILEM ILLAM ET  
PERPETEM CURAM (sed curam tamen securam) qua  
res OMNES INSPICIT, ADIT, COGNOSCIT: ET CO-  
GNITAS IMMOTA QUADAM ET IGNOTA NO-  
BIS SERIE DIRIGIT AC GUBERNAT. Id autem est  
quod cum ipso Providentiam hic voco. De quâ queri non-  
nemo per imbecillitatem possit, nemo quærere, nisi qui  
obfurdui, & obbrutuit contra Naturæ vocem omnem &  
sensum.

## CAPVT II.

*Quomodo ad singula & in singulis se exserat Providentia,  
parùm piè quari. Blasphemum verò peccati aucto-  
rem statuere Deum; in quo mali nihil. Quod genti-  
les dicere satis prudenter abstinerunt. Denique  
monitum rem difficilem eam esse. Ideoque in argutiis  
me non versaturum.*

**H**Oc firmum, & Vulcanium planè scutum contra  
omnia externa: Hæc aurea illa arma, quibus tectos,  
Plato pugnare nos iussit in casum & fortunam. Deo  
subjici, Deum cogitare: & in omni eventu mentem  
hanc flectere ad magnam illam Mundi mentem. Pro-  
videntiam dico. Cujus pias & felices copias explicui satis.  
Cur enim longè nimis ea scruter, quæ quasi exordii loco  
posita sunt? cum re magis difficili adfatim mihi negotii:  
altius perscrutemur, atque (omisso curioso magis quam  
utili intuitu, quemadmodum ad omnia & singula quæ-  
que se exserat divina Providentia: \* *Neque enim fas est ho-  
mini cunctas divine operæ machinas vel ingenio comprehendere, vel  
explicare sermone, hoc tantum prospexisse sufficiat, quod naturarum  
omnium proditor Deus, MALUM ad bonum dirigens, cuncta disponat.*

\* Severini  
Boëthii verba  
sunt, de const.

B 2

Aeyd-





\* Difficile autem est me sermone explicare, quemadmodum Deus omnia regat, & sua providentia disponat.

\* Plato.

\* de cons. lib. III.

\* lib. VI. esp. II.

\* Ἀργυλέου δ' ἐμὲ ταῦτα θεῶν ὡς παντ' ἀγορεύειν.  
 Sine circuitione id, quod est instituti nostri, proponamus & illustremus. Durum nempe illud de divina circa peccata sive malas hominum actiones providentia, & an Deus earum fit causa vel auctor, quod vi præscientiæ sequi probare adhuc conantur hodie quidam Christiani. Nomine certè, sed an re in hac re, alius judicet. Blasphemè enim! quia deus facere malum non potest. Ideoque \* Homerus ille Philosophorum recte: ὁ δὲ θεὸς μηδὲν κακὸν ποιεῖ, ἄν' ἂν ἴν' ἔῃ κακῶ ἀίτιον; Deus nihil malum facit, adeò non ipse mali alicujus causa. Et melius impressiusque Seneca in Epistolis: Hi (Dii) nec dant malum, nec habent. Subeunt etiam verba Boëthii, \* quæ scitè periteq; hac de re cum Philosophia sua consolatrice differuit. Deum, illa inquit, esse omnium potentem nemo dubitaverit. Qui quidem inquam, mente consistat, nullus prorsus ambigat. Qui verò est, inquit, omnium potens, nihil est, quod ille non possit. Nihil inquam. Num igitur Deus facere malum potest. Minimè inquam. Malum igitur, inquit, nihil est, cum id facere ille non possit, qui nihil non potest. Relabuntur iterum hac adversarii doctrina in Stoicismum, atque his illos accenseo, quorum Agellius \* meminit: qui, quum in culpa & in maleficio revideti sunt, per fugiunt ad fati (id fatum & illi agnoscunt, mutato nomine, quo æternum appellant Providentiæ decretum: Nec nomen aliquis cavilletur: Fatum enim certe à fando, nec aliud propriè, quam, ut dicam Prisciani verbis, Dictum & jussum Divinum) necessitatem, TANQVAM IN ALIOVOD FANI ASTYLUM; & quæ pessimè fecerunt, ea non sua temeritati, sed fato esse attribuenda dicunt. Meliori certè in sententia Ethnici fuere locati, qui olim negabant tales oportere ferri audiri que homines: inferebant enim verba hæc pia atque sapientia. Ἐπὶ τῶν Πυθαγορείων ἔτιως εἰρηλατῶν Γνώση δ' ἀνθρώπου ἀνθαιετα πῆμα ἔχοντα. ὡς τῶν βλαβῶν ἐκάσους παρ' αὐτοῖς γινόμενων καὶ καθ' ὅρμῳ αὐτῶν, ἀμαρτανόντων τε καὶ βλαπτομένων, καὶ κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν καὶ πρῶθεσιν. à Pythagoricis sic dictum est: Cer.





Cernas esse homini quasitos sponte dolores.

Quia scilicet noxia cuique de semet adveniant, peccentque homines sui appetitus motione, ledanturq, suapte sententia & proposito. Primus etiam Homerus \* sapientissimus & antiquissimus Poëtarum verè nimis dixit in hisce versibus:

\* Od. α.

Ω πόποι, οἷον δὴ νῦ θεὸς βροτοῖς αἰτιώωνται.

Ἐξ ἡμέων γὰρ φασὶ καὶ ἔμμελαι, οἱ δὲ καὶ αὐτοῖ.

Σφῆσιν ἀπαθάλισιν ἰστέρον μόρον ἀλγέ' ἔχουσιν.

Hei mihi! quid damnant mortales numina cæli?

Esse ajunt etenim per nos mala, quum tamen ipsi

Per scelus accersant supra sibi fata dolores.

Imò nec morbos, nec debilitates & ægri tudines corporum, quas patiuntur homines (& quas peccati esse pœnas, novit homo Christianus) Deum fecisse credebant olim gentiles (sanior illis mens) minus multo ipsa peccata. Clarè constat id, quod asserui, ex Agellio lib. VI cap I ubi Chrysippus Stoicæ princeps Philosophiæ, & de quo testatur Lipsius; quod primus corruperit & enervaverit virilem sectam spinoso acumine quaestionum, de hoc ζητήματα quod considerat libro τῆς ἀρετῆς quarto dignumque esse id quæri putat: εἰ οἱ πάντες ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται, existimat, non fuisse hoc principale nature consilium, ut faceret homines morbi obnoxios, nunquam enim hoc convenisse nature auctori, parentiq, rerum omnium bonarum. Cor Philosophi! Qui, quid piè magis dixisset? Itaque adversarius cum fræna rationi suæ laxat, ac Deum dicit omnium malorum causam, ne illud quidem cogitat: quis, & quem incuset? Quis? homo, umbra, pulvis, quem? formido dicere, Deum. Hujus igitur rei difficultas diu, \* abstinnit me, fa- reor, ab aliori in situ in sacrarum illud rerum mare: quò materies \* auro melio- alioqui, & ingenii ventus vocabant: sed repressit hic metus, & ad- ora, verba Li- navigare jussit litus, Elephantas, ajunt, eisi amnibus impensè de- piii. Epist. 59. lectentur, haud temerè tamen eos ingredi, cum inscii sint natandi: idem hac in re mihi, quam amo, quam estimo, & tingo salubribus





ojia aquis libens animum, non tamen mergo. *Questionum enim; vortices illos horreo: iisque ne involvar, adsideo et obambulo saltem ejus ripas. Et hinc tamen haurio, et ex tuto sumo quae ad usum. Nam acumina aut dissertatiunculae quid juvent? Quot verba, tot elegantiae peritiaeque pondera! Nam de ista futili atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad rem neque tuendam neque ordinandam promovente: in qua id genus homines consenescent malè feriat, quos Philosophos esse vulgus putat, jam olim Plato apud Agellium, \* veritatis homo amicissimus, ejusque omnibus exhibendae promptissimus, quae omninò dici possint in desides istos ignavosque, qui obtento Philosophiae nomine inutile otium et lingua vitaeque tenebras sequuntur, verè ingenuèque dixit: ὅταν δὲ δὴ πρῆσβύτερον ἴδω ἐπὶ φιλοσοφῆσθαι, καὶ μὴ ἀπαλαττόμενον, πληγῶν μοι δοκεῖ ἤδη δεῖσθαι, ὡς Σώκρατες, ἔτ' ὁ ἀνήρ. Quando grandiore natu philosophantem animadverto, neque dum studia ejusmodi deserentem: verberibus jam hunc virum, Socrates, indigere censeo. Nam philosophia naturæ opus est, non fidei: atque in divinis moderatè adhibenda. Huc flecto Platonis verba l.cit. φιλοσοφία γάρ τοι ἴσθιν, ὡς Σώκρατες, χάριεν, ἂν τις αὐτῷ μετρίως ἀψήται, εἰάν δὲ περαιτέρω τῷ δεόντ' ἐν διατρέψει, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. Philosophia quidē, ὁ Socrates gratiosares est et venusta: Si quis illam moderatè attingat, Sin autem supra modum tempus in ea contriverit, hominum est corruptela. Itaque inferiùs optimè monet, cum ait: ἀλλ' ὦ, γὰρ ἐμοὶ πείθει. παῦσαι δ' ἐλέγχων πραγμάτων δ' εὐμοσίαν ἄσκει. καὶ ἄσκει ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν, ἀλλοις τὰ κομψὰ ταῦν ἀφ' εἰς, εἴτε ληρήματα γρη φάναί εἶναι, εἴτε φλυαρίας.*

Εξ ὧν κενόισιν ἐγκατοικήσῃς δόμοις.

ζηλῶν σὺ ἐλέγχοντας ἀνδρας τὰ μικρὰ ταῦτα, ἀλλ' οἷς ἴσθι καὶ βίβη, καὶ δόξα, καὶ ἄλλα πολλὰ ἀγαθὰ. Quae verba, etsi ad proprietates eorum nequaquam possit latina versio adspirare, ac multo minus etiam mea, tamen ita reddo: *Quamobrem, bone, me audi; in vanis versari argutiis desine; rerum potius elegantiam ac eruditionem exerce; nec non ea ex quibus sapere*

\* Platoni hoc  
elogium tri-  
buit Gell. lib.  
X.





pere videaris: aliis verò ista arguta, siue deliramenta appellari oportet, siue nugas, unde vacua habitanda tibi domus sumi, relinque. Denique imitare non eos, qui hæc exigua captant: sed eos, quibus viduus & gloria & alia bona adsunt complurima. Vera, atque ingenua! Ideoque (ne audiam illud: ἀμελείς, ὧν δεῖ σε ἰπιμελείσθαι) & ego nunc, mea quidem opinione, res tractabo, non argutias: τὴν πραγμάτων ὁμοσίαν ἀσκήσω, & κομψὰ. sed tamen breviter. Hostium etiam argumenta præcipua (quò enim excresceret, si cuncta recenseam?) copiasque mihi oppositas lustrabo, quæ, si eminus conspicaris, validæ videntur & callidæ, sin vero cominus inspicias, re molles & eventu; primum itaque sustinebo impetum, atque eo factò milites delebo oppugnantes. Sed res est non adeò facilis, locus enim lubricus ad lapsum: tamen ingrediar. Sed cautè, lentè, & quod græci dicunt, ἡσυχῶ ποδῖ. res est, quam si movere, nil tamen eo promovere possim, ni Deus ipse manum mihi injiciat adiutricem. Cum enim in minimis rebus divinum præsidium debeat implorari, quid nunc faciendum censes, ut illius summi boni causam agere mereamur? invocandum, inquam, rerum omnium patrem, quo prætermisso nullum ritè fundatur negotium: ideoque hæc mitto ad omnium bonorum auctorem cum Boëthio suspiria,

O qui perpetua mundum ratione gubernas  
Terrarum cæliq; sator, qui tempus ab ævo  
Ire jubes, stabilisq; manens das cuncta moveri;

\* \* \* Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulcrum pulcerrimus ipse  
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

\* \* \*

Da pater augustam menti conscendere sedem,  
Da fontem lustrare boni, da luce reperta  
In te conspicuos animi defigere visus.

Disji-





(16.)

*Disjice terrena nebulas & pondera molis,  
Atque tuo splendore mica: Tu namq; serenum,  
Tu requies tranquilla piis: te cernere finis,  
Principium, vector, dux, semita, Terminus idem.*

Age, causam nunc Dei agam. Si non exactè: quid mireris?  
Quì enim finitus infinita capiam? adfectu tamen pio.

### CAPVT III.

*Providentia clariùs explicata breviter, ejus descriptio duplex: quæ ostensa à se invicem differre.*

**S**ED quoniam nobis hîc sermo erit de providentia divina circa peccata, in frontispicio haud incongruum esse puto explicare, quid per Providentiam hic intelligi velimus: quod quamvis ex jam allatis abunde clarum esse putem, si penitus paululum intueantur, adhuc tamen clariùs nunc propono & illustro. Scio autem arduum imò temerarium, *ἡμετέριον* illam & *ἡμετέριον* *Φύσιν* (Deum dico) verbis certis concipere velle aut adstringere, & quidquid ad illum: tamen ut humanæ mentis captus est, Providentiam I. generatim non aliter capio aut confidero, quam ut IN DEO VIS SIT ET POTESTAS OMNIA VIDENDI, SCIENDI, GUBERNANDI. & vis dico univèrsa, indivisa, stipata, & cum Lucretio loquar, uniter juncta: sed licet una & indivisa, tamen I. distinguas ratione objectorum & in his fundata differentia graduum. Nam versatur Providentia divina circa creaturas minutissimas & abjectissimas, potior tamen est circa homines, & præcipuè ecclesiam. 2. Modus etiam circa objecta unius speciei non minùs quam diversarum specierum differt. Confer. Ps. CXLIX. 9. Matth. VI. 26, cum Gen. III. 19. & Ps. CXXVIII. 2. aliis enim victum præbet



præbet sine labore: aliis in sudore vultus & labore manu-  
 um. 3. ratione actionum quæ à creaturis rationalibus  
 sunt, in Providentia divina diversi reperiuntur actus. ali-  
 ter enim sese exferit circa bonas, aliter circa malas homi-  
 num actiones, ut in sequent. videbimus. Sed nolo in  
 his amplius sudare, aut actum hîc agere: cum jam pridem  
 etiam ea in Academia nostra exposita sint post alios à DN.  
 PRÆSIDE, \* Doctore meo & Patrono magno. Sed  
 II. Specialius Providentiam concipio, ut DEI ACTIO-  
 NEM, QUÆ NON MODO OMNIA PRÆ-  
 SCIT, SED ET CUNCTA QUÆ EFFECIT,  
 CREATA CONSERVAT ET GUBERNAT: imò nec  
 quidquam omninò in hac grandi machina geritur, turba-  
 tur, miscetur (peccatum excipio) cujus non causa & ori-  
 go à prima illa causa. \* πάντων enim τὰ μὲν ἐξ ἑσθλῶν ἐν ἑσθ-  
 λῶ, ait recte Pindarus. Ideoque hæc est creationis con-  
 tinuatio, imò creatio secunda piè dici posset. Hinc  
 Scaliger \* Deus, inquit, cum conservat, semper generare (sive  
 creare, quod idem) dicitur. Nam utrumque Dei solius  
 opus, creatio primum, Providentia proximum: atque in-  
 de pii veteres creationem divinæ potentia, conservatio-  
 nem verò divinæ sapientia & Providentia tribuebant. Ita  
 Just. \* ἡ δυνάμει ὁ νόσμος γέγονται, τὰ τε καὶ τῆ προνοία  
 ἀνακρίται. Rectè igitur Providentia hoc loco ad curam,  
 quæ alicui prospicitur, referri solet, & in compendio cu-  
 ram divinam circa creaturas denotat. Licet enim pro-  
 videre (à quo vocabulum Providentia) aliquando idem  
 sit, ac prævidere, id est rem longe, antequam fiat, videre;  
 usum tamen obtinuit, ut providere idem sit, ac pro altero  
 videre, id est curare. Cujus rei tam liquida, & tam obvia  
 veritas, ut non alia antiquior aut receptior sententia  
 inter Judæos. Mosen ecce adi & audi, primum & sapi-  
 entissimum historicorum: fallor, si non hoc sensu il-  
 lam vocem calcavit, & inculcavit. Quis negabit He-  
 bræam radicem מַנְהִיג, si ex sua sede in Latium transfe-  
 ras,

\* in Com.  
 Th. Pol. de  
 Prov. §. IX.

\* Omnium re-  
 rum dispensa-  
 tores & ad-  
 ministri in  
 celo.

\* Exerc.  
 CCCXLIII.

\* in Quæst.  
 & respon. ad  
 orthod. Q.  
 CXXVI.





ras, denotare, vidit? quis iterum negabit cum audiat  
 \* Gen. XXII. hæc verba, \* dominus ipse, וַיֵּרָא וַיִּבְרַח וַיִּבְרַח וַיִּבְרַח וַיִּבְרַח videbit sibi agnum, vi-  
 dere ibi esse providere, id est procurare. Sed neque hoc vo-  
 luit ommittere; si quis ad morem loquendi humanum atten-  
 dat, I. geminos de Providentia conceptus reperiet: quo-  
 rum alter in Deo est, & ei tribuitur, tanquam actio imma-  
 nens; alter à Deo quidem proficiscitur, sed in rebus ter-  
 minatur, externus quippe seu transiens; cujus terminus  
 sive res producta in rebus extra Deum est. Tricari alicui  
 videor, & quod ille ait, \* κέγ' ἔσον τευ πᾶν? Imò sumo  
 hæc è medio sermone vulgi, quo nihil magis increbuit,  
 quam ut in casu aliquo potissimum tristi dicamus, *Het*  
*Komt door Gods voil, & Het is door Gods schickinge en voorsienig-*  
*heijt geschiet.* At de priori conceptu, sive vi illa, quæ in  
 Deo est, atque potestate omnia videndi, sciendi, guber-  
 nandi nemo sic loquetur: nemo, inquam, rebus ipsis eam  
 tribuet, citra impietatem aut irrisum. Benè ergo dixi, in  
 Deo illam esse: hanc à Deo quidem, sed intellegi in rebus.  
 & ita claret spectari actionem illam debere in iis, ad quæ  
 pervenit, non à quo venit. Adde ampliùs, vim illam etfi  
 reapse ab actione indivulsam (ubi enim actio est, ad a-  
 gendum vis est) tamen præstantius quiddam & prius a-  
 ctione videri: uti solem præcellere lumini, æternitatem  
 tempori, intellectum rationi, vulgo adserimus in sapien-  
 tum scholis. II. Videbit juxta conceptum priorem pro-  
 videntiã versari circa peccata, (etiam formaliter spectata),  
 tanquam ejus objectum: alterum juxta non item. Satin  
 hæc capis mi Lector? an clarior etiam fax tibi accenden-  
 da? audire loquentem quempiam videor: clarior. Quod  
 enim istud discriminum subtile stamen? qui quaestionum  
 captiosi laquei sunt? absit: propiùs intueri, dabo lucem.  
 Dixi esse in Deo vim & potestatem omnia videndi &c. ergo  
 vis est & potestas in Deo peccata videndi, sciendi, guber-  
 nandi. Dixi item speciatim Providentiã esse actionem,  
 cui subjacent omnes res à Deo creatæ. Atqui non fru-  
 stra

\* milium se-  
 rebrare.



stra toties dixi, omnes res creatas subesse Providentiæ di-  
 vinx. nempe \* hoc ipso excluduntur mala culpa sive peccata,  
 quæ, quia non sunt creaturæ & effectus Dei (si namq; essent effectus  
 Dei, tum vel essent fines ab ipso intenti, vel media preparata ad fi-  
 nes obtinendos: at neutrum horum sunt) ideoq; nec sub Providen-  
 tiam divinam propriè & per se cadunt. Illa enim ipsa provi-  
 da mens ea propriè conservat, quæ fecit: & illa gubernat,  
 quæ creavit. quod enim non fecit gubernare propriè vel  
 conservare non potest. Creavit autem omnia valdè bo-  
 na. Gen. I. 31. Interim aliquomodo & impropriè possunt obje-  
 ctis Providentiæ accenseri, etsi non tanquam effectus, attamen tan-  
 quam terminus impediendus vel destruendus per divinam providen-  
 tiam; vel tanquam materia, circa quam & cujus occasione aliquid  
 faciendum ordinat Deus, veluti poenitentiam agendam aut justam  
 poenam subeundam. Iste poenæ peccatorum, ut eveniant ita, ordi-  
 nantur & providentur à Deo: nullatenus verò ipsa peccata. Idem  
 l. c. Ubi præterea monet, accuratè hinc observandam di-  
 stinctionem esse de malo culpæ & poenæ. Hoc licet, ipsa  
 adferente Scriptura, efficienter sit à Deo, atque ideo non  
 prævideatur tantum, sed & provideatur ac procuretur  
 ab ipso: modò ut finis, modò ut mediùm ad finem, imò  
 sit inter præcipua Divinx Providentiæ argumenta: illud  
 tamen quatenus tale, hoc ipso, quod Deus id non efficit,  
 ab ipso provisum esse dici nequit, licet prævisum sit: quia  
 simpliciter provisum esse denotat aliquem effectum di-  
 vinx voluntatis & Providentiæ. Circa illud quidem &  
 de illo providere quidpiam Deus haud incommodè dice-  
 tur: sed non illud absolutè providere: licet utique permis-  
 sionem illius Deus provideat.

\* Verba con-  
 summatissimi  
 Theologi Joh.  
 Fabricii in  
 præl. Theol.  
 p. 251.

91





CAPVT IV.

Post quadam premissa ventum ad formale Providentia: idque ostensum consisti tribus actibus. Queri illos per calumniam sibi affingi, quod Deum statuunt peccati causam: sed frustra queri. Mox paullo fusius probatum, Deum nec συζυγόν mali, nec auctorem esse.

\* Lutherum, Chemnitium, Gerhard aliosque intellego.

Sed ne dilatem hæc ultra modum: vides ex istis causam mihi justam discriminis. Nam prisca illi & olim conscripti \* Patres, imò universus τῶν θεολογῶν senatus nihil mihi invidet aut inhibet, quin hac distinctione in sana & vera notione fidenter utar. Sed ut semel te ducam in arcem ipsam hujus rei: hoc sciendum, quod si fas mihi, vela pandi & navim immitti altius in hoc rerum divinarum fretum debere. Sed me felicem, si

— — — scopulos & naufraga saxa  
Festina potui prætervexisse carinâ!

Ne autem propius nimis accedamus. Icarum casum scio, qui quum ceratis pennis solem appropinquare audebat, præceps in mare ruit. Nolo igitur sciens vestigia incauta sequi: vox patris me reprimit,

— — — medio tutissimus ibis.

Medium autem mihi revelatio divina est, scripturis comprehensa, juxta leges bonæ interpretationis quidem, non ex præjudiciis temerariæ rationis, simplici magis animo pioque intelligenda. Atque hîc insisto, & navim flecto ad hunc portum: ubi securitas, ubi pax habitat: in quo perfugium asylumq; è turbis & à curis. Quem si bona fide semel tenuero: non turbent solùm hostes sed ruant, stabo ipse inconcussus. Nimbî circum me cadant, & fulmina & tempestas: clamabo verâ magnâque voce,

mediis





Sed possum de re ipsa promere fortassis aliquid magis dif-  
fertè & exfertè. Homericum tamen illud jure præfatus,

\* Εἰ δὴ δύναμαι τελέσαι γέ, καὶ εἰ τετελεσμένον ἔσται.

\* Si facere id  
possum, aut  
fieri res ipsa  
potest.

Omnibus autem fatis, ut opinor, notum, formam Provi-  
dentia in sua latitudine conceptæ, quatenus & actus Dei  
internos, quæterni: & actus externos unâ complectitur,  
à Theologis tribus quasi actibus describi, *προγνωσις, προφη-  
σις, & διοικησις*: five præscientia, decreto & voluntate prospici-  
endi rebus omnibus, & actuali istius (præscientiæ) & de-  
creti in tempore executione: (qualis enim executio, tale  
decretum. ex quibus patet, ab æterno Deum non decrevis-  
se Adami lapsum, vel peccatum qua tale; licet præscive-  
rit, quia Deus in tempore non operatus est ejus lapsum,  
neque eum instigavit ad peccandum. Sed decrevit po-  
tius, peccata permittere, & non impedire, bonos tamen  
fines ex iis eliciens.) Quæ iterum consistit in conservati-  
one rerum creatarum, & gubernatione: quæ versatur  
potissimum circa hominis actiones bonas & malas: Illas  
non tantum præcipit & approbat. Ps. CXLVII. 11. Sed  
etiam efficit in primâ conversione & operatur. Phil. II. 5.  
cooperatur autem post conversionem, cum efficit eas ho-  
mo conversus & renatus per vires non naturæ, sed novas  
à \* Sanctissimo illo Deo donatas & acceptas. Has verò  
prorsus non præcipit, approbat, juvat, aut ad easdem im-  
pellit. Absit enim, ô homo, absit id cogitare de Deo:  
quia scandalosa satis atque in sanctitatem justissimi Dei  
injurirosa esset cogitatio; à Deo enim non magis est ut  
malum aliquod emanet, quam ut malus sit ipse. Itaque  
etiam præci illi tenebriones cum superum illud numen  
mente conciperent, rectè à juvando dixere Jovem. Vide,  
quàm piè isti impii! Rectior igitur illorum sententia ho-  
dierna quorundam, qui Christianismum induerunt:  
illos doceant potius quid censendum de Deo. Re-  
formati, qui hostes nostri in hoc negotio, fateor, con-

\* Spiritu San-  
cto.

192





queri solent quã maximè per calumniam sibi affingi, quod Deum peccati causam vel auctorem statuunt, blasphemum enim id esse nobiscum dicunt. Sed utinam talia ab illis audita non essent, quæ sensum illum omninò ingerunt percipientibus verba, idque ex communi loquendi consuetudine, & vel per æquipollentiam verborum vel necessariam consequentiam! quomodo enim cum verbis illis excusantibus conveniunt, hæc accusantia? imo horrenda, quæ infert Zvinglius \* (nunquam id mihi sine irâ & admiratione lectum) *Providentia divina Esavum in hoc creavit, ut viveret atque impiè viveret.* Quid magis impiè pii isti dixerint? Huic subijcio Steph. Szegedinum, qui L. de Pecc. Tab III. p. m. 233. de Malis culpæ seu peccatis loquens, variosque modos ostensurus quibus Deus hæc mala agere dicatur, denique hunc tradit, quò Deus *mala hoc seu peccata agat effectivè non permissivè tantum.* Calvinum ipsum, l. 3. Instit. c. 23. n. 9. p. m. 338. b. docentem, *hominibus ex Dei ordinatione insici necessitatem peccandi, quam evadere nequeant, & quidem, uti jam antè is docuerat L. I. c. XVIII. n. ult. p. m. 73. b. ut homo Dei impulsu agat, quod sibi non licet.* Amyraldum, qui in defens. sent. Calv. p. 65. *Neque David, inquit, numeravit populum nisi Deo quodammodo impellente.* Egregium defensorum! Neminem certè ad peccata Deus impellit, ut inde habeat puniendi occasionem. quæ hæc esset optimi fontis malignitas? perseverat autem æternum in benignitate sua illa mens. Sed posito, non tamen inde concessio, Deus, qui prorsus non \* ἀπειράτος ἔστι κακῶν, περιέλασεν ἢ αὐτὸς ἐδέξα, ipse Davidem instigaverit & tentaverit ad populum numerandum: an ideò sequatur, Davidem cum dicto audiens esset, obedientia sua gravissimè peccasse. ac tantam meritum esse pœnam non video. Contrarium potius censeo, atque illum rectè imò piè egisse, fidenter adfirmo, ipsa passim Scriptura annuente. Nam si gravissimas merentur pœnas Deo obedientes: quid merebuntur contemptores? Si Deus puniret suam facientes vo-  
lunta-

\* in Elench. contra Cata-bapt. part. 2. fol. 36.

\* Jacob. I. 13.





luntatem, quid tandem pertinacibus impiisque eveniret? pios castigat quidem, non punit (punitio ad malos spectat) injustissimè enim ageret omnium parens: Quod adferere, mihi, omnibusque absurdum planè videbitur. Exstant etiam hujus rei exempla contraria. Cum enim Deus Abrahamum tentaret ad mactandum filium, atque ipsi ille obsequium præstare conaretur, eam ob rem illum minimè Deus punivit: laudavit è contra mirum in modum, atque hinc ipse fidelium catalogo (Heb. XI. 17.) insertus reperitur. Complura ex pedissequorum Calvinii scriptis recenserem, ni nota satis illa esse scirem, brevitatisque quam mihi præfixi impedimenta, nihil A. Lectori præter tadium & horrorem adferentia. Itaque & plus satis ego exhorresco horrenda illa narrare dicta, alium parentem fingentia *ουνογον* omnium malorum & auctorem: qui potius hominem condidit ad suam imaginem, liberum (liberè enim coli voluit, non ab homine tanquam lapide, quem hinc illinc dimovere necessum est) ut labi posset, vel non posset, libera voluntate: quod patet ex Jes. I. 2. *filios educavi & nutriti*, inquit Jehova justissimum numen, **IPSI AUTEM DEFICIENTES REBELLAVERUNT IN ME.** Prohibuit peccata Deus, imò minatus est pœnas temporales & æternas. Gen. II. 16. 17. Deut. XXVII. 26. odit ea. Zach. VIII. 17. At (Sap. XI. 25.) *nihil comparasti, ô Deus, quod haberes odio.* Punivit. Gen. III. 16. ac denique per mortem filii expiari voluit. Gen. III. 15. ô amorem Dei erga nos! filium misit unicum in carnem, ut pateretur miserrimas, ut pro peccatis nostris morte satisfaceret, & ipse ille Deus, qui tristissima hæc perpessus est, pro peccatis, peccati esset auctor? absit: mea mens, ne cogites. Hinc ergo licet argumentari, Deum non esse illius rei auctorem, cujus est vindex & ultor: iniquitatem quam punit ipse. non fecit: alias sibi contrarius foret, aut iniquissimus. Quid, quod pugnet cum Dei essentia, voluntate, operibus: ut jam ostendimus. Cum essentia, quia summe

mè



\* I. Joh. II.  
16.

mè bonus. Deut. XXX. 4. Matth. XIX. 17. & hinc etiam  
opera ejus mala esse nequeunt. Gen. I. 31. 1. Tim. IV. 4. cum  
voluntate, ut ostendunt dilucidè tot Scripturæ dicta, in-  
ter quæ Ps. V. 5. 7. Jes. LXV. 12. Ezech. XXXIII. 11. verum  
igitur \* ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἢ σαρκὸς, ἢ  
ἢ ὀφθαλμῶν, ἢ ἀλαζονεία τῶν βίβων, ὅτι ἐ-  
στὶν ἐκ τῶν πατρῶν ἀλλ' ἐκ τῶν κόσμων ἐστὶ. Cum Dei ope-  
ribus: nam prohibet in Decalogo, & in tota Scriptura.  
Quamobrem justissimè conqueritur divina justitia Jer.  
XIX. 5. Peccata idololatriæ domus Israelis ipsi in men-  
tem ne quidem venisse, minùs multo præcepisse. Tole-  
rat peccata ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ Rom. IX. 22. punit ea:  
Ezech. XIV. 13. optat è contra: Deut. V. 29. & cap. XXXII.  
29. Ps. LXXXI. 14. Matth. XXIII. 37. Quid quod peccata  
ferventes Deo lacrymas expresserint. Luc. XIX. 41. Marc. III.  
5. Tu igitur, ô improbe pulvis, Deum tuum facies ἑσθ-  
νήν? Adde, malum non habere causam efficientem, sed  
potius deficientem: effectus igitur Dei esse nequit, quia for-  
maliter peccatum deficiendo committitur; atqui Deus  
non deficit, nec à se ipso potest exorbitare. Fallor? an  
& adversæ partis aliqui hîc obloquuntur? se quoque di-  
centes non tribuere Deo, tanquam efficienti, actiones ho-  
minum malas, ratione vitii adhxrentis, sed actiones per  
se, quatenus sunt actiones. Ita profectò Wendelinus  
scripsit: Christ. Theol. lib. I. c. VI. th. X. n. 2. & accessit nu-  
per admodum Auctor Theologiæ Theoretico - Practicæ,  
Amstelodami Anno 1682. editæ L. III. c. X. §. XVII. p. 625; qui  
cum dicta scripturæ collegisset, *ab una parte illa, que provi-  
dentiam divinam doceant efficaciter occupari circa operationes ho-  
minum malas; simul ab altera parte ea, quæ apertè testantur,  
Deum non esse auctorem peccati; non aliter utraque inter se  
conciliari posse perhibet, quàm si distinguatur in pecca-  
to inter ejus materiale, habitum scilicet aut actum malitiei sub-  
stratum; & ejus formale, ἀνομίαν: ad illud Deum non posse non  
concurrere ut efficientem causam, citra yacturam suæ independentiæ;  
ἀνομίαν*



*avariæ autem auctorem esse non posse, cuius causa non sit nisi  
 deficiens creatura, videlicet transgrediendo legem. Crederes hoc  
 illud esse, quod & Nostrates aliquando docent. Certè con-  
 cursum universalem Dei, hoc ipso, quod universalis est,  
 ad actiones malas se extendere, nemo negat. Ad materi-  
 ale autem, non ad formale malæ actionis eundem à no-  
 bis referri, vel ex ante dictis constat. Sed valdè nihilomi-  
 nùs distant nostra & illorum sententia: imò Reformato-  
 rum & Scripturæ sententia. Nempe à nobis juxta Scripturas  
 non agnoscitur concursus Dei effectivus ad actiones ho-  
 minum malas, nisi generalis & indeterminatus, libertate  
 agendi seu indifferentia voluntatis hominibus relicta.  
 Quod si in hoc subsisterent Reformati, facilè lis sopita aut  
 sublata foret. At hi Deo operationem ejusmodi tribu-  
 unt, per quam voluntas hominis intrinsecè determinetur,  
 ac necessitas ei, sublatâ indifferentiâ suâ imponatur, ut  
 velit, hoc atque ita agere; quòdque à Deo dirigatur organum  
 malum & actio vitiosa in objectum; uti Wendelinus l. c. ex-  
 pressè docuit, & exemplò homicidii, quò viator aliquis à la-  
 trone in via occiditur; ita declarat, quod Deus consilium homi-  
 cidii perpetrandi, ipsumque latronis impetum ita rexit & flexerit, ut  
 non quemvis promiscuè hominem voluerit aut potuerit interficere;  
 sed hunc potius quam alium interfecerit. Atqui, cum actio vi-  
 tiosa, formaliter per hoc vitiosa sit, quod circa tale ob-  
 jectum versatur; fieri non potest, quam ut causa, quæ vo-  
 luntatem hominis ad actionem, cui inseparabiliter adhæ-  
 ret vitium; simul actionem ipsam ad tale objectum à quo  
 habet, quod est vitiosa actio, dirigit, & irresistibiliter  
 determinat; actionis vitiosæ causa sit, quoad ipsum vi-  
 tium actioni adhærens. Equidem alter ille Theologiæ  
 Præcticæ Auctor, calamum hîc retraxit, neque l. cit. defi-  
 nivit operationem illam Dei, quâ ad materiale peccati  
 concurrat; quia tamen jam antè dixerat, Deum omnes caus-  
 sas secundas determinare; §. XII. p. 622 & post paulò, §.  
 XXXVI. p. 637. influxum specialem in peccato, non quidem  
 D ad*



ad *avopiac*; ad *actum* tamen, Deo adscribit: idem profecto docet, quod Wendelinus. Neque enim potest ostendere influxum specialem, nisi quò hominis peccantis volitio ad actum vitiosum determinetur, & actio ipsa ad tale objectum terminetur. Quod autem is literam Scripturæ ad eò urget, ut *duo* illa, Deum actiones malas hominum efficere; & tamen, Deum non esse auctorem peccati, simul credi iubeat; neque præfenti causæ sufficit, neque Reformatorum praxi in aliis controversiis doctrinæ Christianæ respondet. Non illi: quia Scriptura licet verbis activis utatur, non tamen specialem influxum, & determinationem voluntatis humanæ ad volendum id agere, quod omnino malum est; actionis quoque ad objectum malum, vel verbis expressis tradit, vel per necessariam consequentiam. Aliud esse, quod scriptura significat, jam ante ostendi, & ostendā porro Cap. seq. V. Imò contradictio in adjecto est, id affirmare de Deo, in quo ratio formalis per quam aliquis habet, quod est auctor peccati, consistit; & negare, Deum esse auctorem peccati. Sed neque istud ad praxin Reformatorum quæ aliàs recepta illis est, quadrat; si conferamus, quæ ad Eucharistiæ negotium pertinent. Hic apertissime revelatum est, id, quod Christus, porrecto pane, manducare iussit, esse corpus suum: revelatum quoque est, Christum suo corpore in cælum ascendisse, ibique versari. Quod si Reformati literam Scripturæ tam religiosè servant: nonne duo hæc simul credere oportebat? Verùm illi quidem malunt in verbis institutionis tropum quærere, & quasi potentiam divinam Christi excedēs, negare, quod illud, quod manducandum præbebatur, sit verum corpus Christi. In alterâ illa, quam nunc tractamus, quæstione, ea quæ verè contradictoria sunt, credere jubent, nec verentur sanctitati Divinæ adscribere, quod in sua formali ratione à sanctitate alienum, adversum ei, & Deo prorsus indignum est. Hæc sunt, Lector benevole, quæ pro Divina justitiâ dicenda censui contra hos iniustos. Quod verò illam attinet, quæ



questionem: an tamen Deus peccati causa per accidens dici non possit? malo abstinere ab hac phrasi, quæ non tam profuit explicandæ doctrinæ, quam obfuit ambiguitate sua simpliciorum animis, ipsique caritati inter fratres retinendæ & colendæ. Quid igitur ego ista? verto profram & removeo me ab hac Charybdi, quando alios intueor disputationum hic fluctibus abreptos! Quorum periculis moniti, terram malimus legere, nec altè penetremus nos in hoc mare. Equidem quod ad rem attinet, fatendum est, Deum esse causam illorum effectuum, cum quibus per accidens, & præter intentionem Dei, peccati ratio conjungitur: nec tamè futurum fuisse hoc peccatum, nisi actio illa præcessisset. An autem ideò Deus, quem certum est non esse veram causam Peccati, tutò satis & commodè, atque ad adificationem, dicatur causa per accidens peccati? ego quidem affirmare non ausim. Hoc opinor rectè dixeris: Si Deus hominem non creasset, peccare non potuisset. Sed cum ille creavit, hic peccavit: non quia is creavit. Itaque peccatum ad hominem referas, qui id perpetravit libere, libera voluntate, Diaboli verò instigatione: minimè ad Deum.

## CAPVT V.

*Separatim ad veteres objectiones contra Divinam justitiam responsum. Et primò ad eam de omni motu, qui a Deo. Secundò, de voluntate Dei in peccatis & permissione. Tertio, de malis non impeditis. Quarto, de induratione & excitatione, quæ magis deinde propriè & pressè refutatur. Quintò, quod peccatis peccata puniuntur. Postremò, de maledictione Simeï. Singula uberius explicata.*

**V**erum hic Hannibal ante portas. Instruunt hostes suum agmen, quod Temeritas ducit: & in quo  
 D 2                      legiones,





\* id probant  
ex Act. XVII.  
28.

legiones, quæ hoc modo procedunt; ita impetum faciunt. Deus, inquit, in nobis est \* auctor omnis motus. Communiter auctor, fateor: sed non nisi boni fautor. Ad virtutem accingeris? illo sciente & juvante fit. Ad vitium? Scienti & finente. Nec ejus hic aliqua culpa. Equum infideo & impello debilem & claudum: quod impello à me est, quod debilem ab ipso. Citharam pulso dissonam, & nervis male vinctam: quod tamen discordat, instrumenti vitium esse fatebere, non meum. Simile hic est. Et à Deo quidem quod movere; à te, & in te, quod ad malum. Sed inquit, peccata fiunt vel volente Deo, vel nolente: Si non vult, cur non impedit? qui enim absolute aliquid non vult, rem, ne fiat, impedit. De hac objectione nervose tractavit \* Gravv. redi. Sed addo: rectè, quod addant absolute. Deum enim & velle & nolle peccata, sed diverso respectu: Non vult peccata ipsa, ut fiant; sed peccata se non volente futura prævidens, permittere vult, & permittit, boni alicujus causa, quod hinc elicere novit ipse, & elicit. Quod alii sic enunciant: activè non vult, cum considerantur tanquam termini à quo, sed passivè, veluti termini ad quem. Quorum recitamus modos loquendi, non urgemus. Sic Simeï maledictionem, Christi que crucifixionem non volebat, in quantum erant perversa Simeï & Judæorum opera, sed quatenus illa fuit passio Davidis & castigatio: Christi vero, ut pro mundi peccatis offerretur. Itaque satis tritum hic illud valet,

*Actio displicuit, passio grata fuit.*

Actio igitur fuit hominis committentis, Dei finentis, & dirigentis: Passio Dei non solum finentis ac dirigentis, sed & probantis. Sed instant: At enim permissio subtemitur voluntati, nam quicumque permittit: vult. Sed distinguendum hic erit inter phrasas: volentes permittere, & permittentes velle hoc ipsum, quod permittunt. Priori, non.





non posteriori modo Deus peccata permittit. Permittit enim non invitus, sed volens: itaque vult peccata permittere & tolerare, non vero tolerando & permittendo vult peccata perpetrari. Est igitur in priori objectum divinæ voluntatis, permissio: in posteriori, peccatum. Instant iterum: cur ergo Deus mala non impedit? impedit ô homo. Cur igitur fiunt? Necdum noscitur discrimen inter obstacula Physica & Moralia? O imperitum te, si nescis: malum, si dissimulas! Moralia præbet impedimenta, non Physica: verbo suo impedit, non vi semper externâ. Atque huc faciunt tot in sacris literis minæ: tot querelæ: tot obsecrationes: tot fulmina: & tonitrua. Dic sodes, si crimina quædam, à Rege aliquo edicto perquam vetita committantur, atque ea in præsentia Regis: an Regem, quia vi & absoluta potentia non impedit, quo minus fierent, illius peccati *συνεργόν* vel auctorem statues? Sane non statues. Satis enim edicto, comminationibus, atque pœnis exemplaribus impedit. Maligni vestri animi! regi alicui aut dynastæ tribuere id non audetis, audetis Deo. Cui tamen, si examinas, haut paullo justior non-impeditionis hujus causa. Ille enim non tenetur mala tum vi impedire, quum, ut impediatur, hominibus placet. Quid enim, ô pulvis, Deo legem imponas? nec impeditio semper fieret bono nostro, cum sæpissimè imò semper malum in bonum finem Deus dirigat. Scit autem optimè, quibus id utile esse possit, & quando. Magna momenta temporum sunt, & saluberrima sæpè Medicina abiiti n. perniciem, data non opportune. Quid, quod etiam extremè mala toties vi & potentiâ impedita à Deo sint: testes adduco sacras literas, è quibus id posuisse mihi factis sit, non evoluisse. Vi igitur sæpius non impedit; ut ostendat hominis libertatem, suamque longanimitatem: quâ sublatâ, deinde gravius punit. Deo enim videtur proprium, ut lento gradu ad vindictam sui procedat, tarditatemque supplicii gravitate compenset. Qua de re plu-



\* Exod. IV.  
21. & alibi.

ra inferiùs. Inclinare agmen video, primum sustinuit impetum: Sed ventum jam est ad Triarios: quibuscum acrior pugna. Deus, inquiunt, cor Pharaonis dicitur\* indurasse. Non autem valde moramur hos latratus. Quia enim Deus indurationem efficienter non operatur, ideo verba indurandi non activè sed alio modo exponenda. Generatim igitur respondeo, Deum indurare variis modis: ac Primò negativè; quando contrarium negatur, id est, quando nec emollit, nec illuminat, & sic verè Augustinus ait, obdurare Deum non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam. Quibus convenit dictum illud Jehovæ ad Ezech. cap. XXII. 24. *Terra, inquit, es minimè mundata, non perfunderis pluvia die indignationis.* Secundò, privativè; cum qualiscumque cordis mollities antea concessa aufertur. Sic sublato visu, prociùs cæcitas sequetur. Conf. Matth. XXV. 29. Tertiò permissivè: de quo, paucis jam explicatis, plura inferiùs erunt. Quartò objectivè: cum Deus verbum offert, prodigia ac miracula ostendit &c. quibus indurat: non per se (quasi ejus hic esset aliqua culpa) sed ut induratio hominis cum illa Dei actione sancta & benigna conjungatur per accidens. Quemadmodum per idem verbum illi convertuntur, alii excæcantur: æque ac dicitur, legem operari peccata, Rom. VII. 8. & Evangelium esse odorem mortis, 2. Cor. II. 16. Terra hæc ipsa arbores & fruges omnes alit communi sacco: Sed illæ salutarem fructum proferunt, aliæ venenum. Quid dices? à terra hoc esse, an potiùs ab insita arborum vi, quæ alimentum bonum decoquant in suum virus. Postremò declarativè: cum multis prodigiis Deus ostendit alicujus cor esse extremè impium, & penitus induratum. Nec inusitatum hoc in sacris paginis, aut inauditum: Jeremias\* gentes perdit, destruit, extirpat; quando perdendas aut extirpandas pronunciat. Nos ex operibus justificamur, \* id est, justificati declaramur. Sed venio tandè ad specialiora.

Jama

\* cap. I. 10.

\* Jacob. II.  
24.





Jam enim omissis gladiis, ad machinas: nec telis impetum  
 oppugnabo, sed tormentis. Veri sensus arietem  
 intorquebo firmum, validum: & quem nulla unquam  
 externa vis elidet, aut acumen eludet. Hæc dicta quasi  
 fundamenti loco jacta, his superstruam. Ac principio  
 omnibus, qui modò callent linguam sanctam, occultum  
 esse nequit, verba activa & in Hiphil permissivè sæpius  
 interpretanda. Ut Exod. I. 17. vivificabant natos, id est,  
 vivere permittebant, in vita conservabant: Conf. Jos.  
 VI. 28. & Pov. X. 3. Quæ tamen ut clariùs capias, & se-  
 mel te ducam in munitam hujus defensionis arcem,  
 hoc etiam omninò sciendum: *moris esse* ( ut inquit Da-  
 masc. ) *divina scriptura, permissionem Dei actionem ejus vocare.*  
 Quo probato, ultra mihi resistere non audebit tua instan-  
 tia: age, probes, inquis, velim. Inspice sacra volumi-  
 na. Activè loquitur \* *Esaias: quare fecisti aberrare nos,*  
*Jehovah, à viis tuis, torrefaciens obduras animum nostrum.* Hic  
 autem minimè intelligitur efficacia Dei seducentis,  
 nam *אין עינים* ( verba sunt \* Ecclesiastici ) *וְכִי דִבַּרְתָּ מִלִּשְׁׁוֹן אֲ-  
 נִשְׁׁנִי אֶל יְדֵי עֲלִיזָה וְכִי תִּשְׁׁרֵץ.* Et sane permissivè verba  
 illa explicantur. Ps. LXXXI. 13. Plura vis? adi Rom. I. 28.  
 Quæ permissivè interpretantur Act. XIV. 15. Matth. VI. 13.  
 explicatur 1. Cor. X. 13. Jac. I. 13. 14. Exempla desideras?  
 Cum Deus Diabolo concessit potestatem eripiendi Jobi  
 bona: Job exclamat Deum fecisse. \* Nemo tamen dicat  
 Deum hic causam efficientem, sed permittentem. Cum  
 malus Israëlitis \* impurus iste imprecabatur, dicitur: Deum  
 instigasse Davidem ad numerandum populum. Cave, De- \* *Diabolus.*  
 um efficienter id fecisse credas, permisit verò instigari Da-  
 videm ab impostore illo, & peste pernicieque generis hu-  
 mani. Addo exemplum Elizæi 2. Reg. II. 16. & Christi,  
 Matth. VIII. 32. quem locum vide clariùs Luc. VIII. 32.  
 Cum igitur ea præmissa sint, confusio hic & error præne  
 sublati mihi visus, quem planè nunc tollo. Ipse Pharaon  
 cor suum dicitur indurasse: Exod. VIII. 32. 1. Sam. VI. 6.

\* cap. LXI. 17.

\* cap. XV. 14.

\* cap. 15. 27.

\* Diabolus.

ne

197





ne Deo igitur effectum hunc ut causæ determinanti tribuas, qui prorsus nõ indurat activè, nequidem puniendo. Ideoq; cum dicitur indurare, idem erit, ac indurari finire, convinci permittere à malitia & cupiditatibus, ut Jac. I. 13. 14. aut à Diabolo: cujus rei exempla ostendam inferiùs. Imò, ut dixi, si puniendo indurat, ut justissimus judex: non tamen physicè influendo aut operando voluntatem puniendi determinat ad actus pertinacis malitiæ, sed à se desertum alteri subjicit, qui impellere efficaciter potest & solet ad scelera, scelerumque contumaciam. Et ita Pharaonem, jam traditum cupiditatibus & diabolo, tyrannum! cui insitum, imperio insolenter uti: nec facilè modum servare in ea re quæ supra modum, & cui ne notum quidem illud Virgilianum, quo maximè egebat:

*Discite, justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Quæ enim verba, Deus bone, in te exipuit! quas calumnias! nullum præter se Dominum in hac terra agnoscebat. Quis enim ille, inquit, Jehovah, cujus dicto audiens essem: non novi illum, ideoque populum nolo dimittere. Illum inquam alterum Mezentium, (monstrum hominis) ita justissimè punivit Deus, ut gratiâ suâ, ipsi jam sublatâ, non rursus subveniret. Et quod magis ad rem: præviderat summè bonus Regem cor obduraturum, Exod. III. 19. viderat etiam refragantem, cap. V. 2. imò turbam magis vexantem, v. 9. quam obrem etiam Mofi, de petulantia ipsius acriùs querenti inquit: ἦδὴ ὄψει, ἀ πεισῶ τὰ Φαραῶν &c. Exod. VI. 1. Vides igitur, quod invidiosè, imò dicam malignè, hoc potius sentiant de Deo, quam verè. Ignorare mihi sese, & naturam illam cœlestem videtur, qui peccata saltem in aliis efficienter operari, atque ideò peccare eam putat, aut peccare posse. O bone, quam erras! Sed interpellans, ignosce, inquires, si rem eligo tibi objicior in hoc cursu. Rationes in contrarium mihi opponis? Futilis hic aries, & qui nervis dirigitur parum firmis. Liberè dico: illas sperno. Et cum Plautino milite totum hoc anile agmen uno



uno hoc spiritu difflexerim, ut folia ventus. Dicit enim  
 Apostolus, \* Deum indurare quos velit. Quos sermo-  
 nes huic instantiæ oppones, quæ verba? adeo temerariè &  
 inconspicte, inquam, rationes meas eludis, aut tollis? non  
 potes: si rem intimè intuèris. Neminem dixi Deus  
 indurat activè, ne puniendo quidem; verùm dum hîc  
 activè indurare videtur, id agit, quod post hanc vitam  
 decedentibus in sua impœnitentia omnibus immittet,  
 non influendo in illorum animos, ad producendum ma-  
 litiam incurabilem, aut determinando speciali operatio-  
 ne voluntatem illorum ad malum; sed irreconciliabi-  
 liter deserendo, satanæ potestatem in illos perpetuam  
 concedendo &c. talia inquam, velut per pragustum  
 quendam damnationis hîc obtingunt illis, quos indu-  
 ratos dicimus, & hæc Deus facit justissimè, Nam primùm  
 communiter justitiam suam adserere Deo posse videor,  
 uno isto ictu. Si adspicit res humanas Deus, etiam cu-  
 rat. si curat, regit. Si regit, iudicio regit. At si iudicio,  
 quomodo injustè? Quod igitur Deus illum propter  
 peccata jam in hac vita punit, alium hætenus præterit,  
 tunc id carpes? indurat, inquit Apostolus, quos velit.  
 Sed quid dico præterit, imò potius, ut sentio, differt. Si  
 magnum æs alienum habeam, & ab illo debitore statim  
 exigam, huic in diem reponam: quid culpes? arbitrii e-  
 nim hoc certè mei & spontis. Atqui idem facit magnus  
 ille Deus, cui cum pœnam improbi omnes debeant, ab  
 istis eam statim exigit, in aliis differt, sed cum scœnore  
 solvendam. Quæ hic iniquitas? Nisi tu Dei vicem, for-  
 tasse sollicitus es, & metuis, ne quid ei pereat per hanc  
 benignam moram. Atqui securus es, mi homo: nemo un-  
 quam decoquet supero huic creditori. Sed cur non, inqui-  
 unt, Deus hunc tyrannum præsentis cæde vel pœna punit?  
 clarior enim ita nobis Dei justitia. Clarior justitia? imò tu  
 mihi stupor. Quis enim tu ille es, qui Deum nõ ad pœnam  
 solum præeas, sed ejus etiam tempora præscribas? utrum  
 E  
 judicem

\* Rom. IX:  
18.

138





judicem eum tuum esse censes, an licetorem tantum & administrum? Heu impudentiam! ita Deo visum: quem scire debes paullo clarius hic cernere, & alio quodam fine punire. Te fortassis calor exagitat, & aufert vindictæ quædam cupido. à quibus ille remotissimus; exemplum spectat, & correctionem aliorum. Aut ideo tibi festinandum est, ut punias, quod posthac non possis par esse coercendis malis, quæ jam vires acquisiverunt: Dei autem sapientia & potentia omnibus major est. Quid nunc habes, quod opponas huic telo? quod scutum, aut quæ arma? si verum fateri vis, imperitiæ humanæ. Non capio, ais, alio modo, nec capere possum: sententiam enim meam adhuc firmat illud Apostoli, quod Deus Pharaonem dicitur excitasse. \* Bene habet. Ergone ad imprudentiam impudentiam adjunges? & vim divini illius purique juris quia non capis, carpes? Quæ potest contra justitiam injustior esse ratio? Si hospes aliquis arbitrari leges aut instituta patriæ tuæ velit, silere eum jubeas & facessere, quia non capit: tu terræ hujus incola, quem tenent terrenæ nebulae & pondera molis, temerè damnabis ignotas cæli leges? tu opus conditorem? \* *μη ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῶ πλάσαντι· τί με ἐποίησας ἕτως.* Et tamen age, liceat. premeam te enim jam proprius, & calumniæ tuæ nebulas distinctè examinabo ad sacrum, ut postulas, solem. hærentem transferam te quoq; per hoc flumen. Tu objicis, quod Deus Pharaonem excitarit. Sit ita. Equidem significationem vocis latinæ, *excitare*, non erat, cur urgeres. Sed non impediam. Quid hinc inferas, audiam. Non jam capio prorsus, inquis, quomodo sententiam hanc tuam à mea disjungas. quam cum verbis & janua, quod dicitur, bene exclusisti; re & postico videris admittere. Sed ad peccatum dicis excitasse. absit. ubinam enim id legisti? An Apostolus inquit, te excitavi ut peccares? non inquit. neque in toto Sacro codice hoc reperies. Sed *εἰς αὐτὸ τὸ το*, inquit, *ἐξήγειρέ*

\* Rom. IX. 17.

\* Rom. IX. 20.

στ.





σε. Quid illud est *αὐτὸ τὸ π*? id certè quod sequitur:  
*ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τῷ δυνάμιν μου, καὶ ὅπως διαγελῆ  
 τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῆ.* Quid jam videtur; ad pec-  
 catum excitavit, an ad gloriam? certè dices ad gloriam.  
 nec dicere aliter potes. paullò id explicabo fusiùs. Lon-  
 ganimitas tarditasque Dei in pœna hic admiranda. Se-  
 pultus peccatis, quasi alto somno oppressus jacebat Pha-  
 rao: ac dilatione pœnæ crescebat virus. quod patet ex  
 historia: ipsius peccatum aliis gentibus nondum innotu-  
 erat, ut igitur innotesceret, publicè ad aliorum exemplum  
 rex erat puniendus: itaque Deus excitavit illum è pecca-  
 tis tanquam è somno ad pœnam exemplarem. Quisquis  
 enim è somno excitatur, diutius somniare non permit-  
 titur, ita è peccatis excitatus Pharao. Hoc est, peccare  
 eum diutius Deus non sivit, sed punivit: hanc ob caus-  
 sam, *εἰς αὐτὸ τὸ π*, ut huc illuc post notitiam pœnæ ac  
 ejus famam, gloria Dei dispergeretur, ac gentibus inno-  
 tesceret, non esse præter se Deum. Conf. Exod. XIV. 4. 5. ubi  
 clarè Deum ad pœnam regem excitasse constat, cum eum  
 ad persequendos Israëlitas properantem, ad perniciem re-  
 duxit. Sed quid huc excurro. Fortè dixeris, excitasse hic  
 pro elegisse posse usurpari. Nimirum quasi decreto  
 quodam irresistibili Deus illum ad actus istos contuma-  
 cis malitiæ destinaverit. Nego id sequi. Quid si sensus  
 esset: ex omnibus gentibus vel peccatoribus te, non ali-  
 um elegi: te excitavi *εἰς αὐτὸ τὸ π*, ad monstrandam me-  
 am gloriam. Cum alios elegisse possem, te tamen exci-  
 tavi, quem in exemplum aliorum tam severè ob ante-  
 gressa peccata punirem. Sed etiam illud mitto. Dixi  
 non adeò insolitum Scripturæ, permissionem Dei ejus  
 actionem vocare. Quidni igitur hic dicemus? Excita-  
 vit Deus Pharaonem, hoc est, excitari à satana permisit:  
 & sic excitare idem esset ac incitare. Quemadmodum  
 excitavit ille pestis Davidem ad superbiam, ut populum  
 numeraret. 1. Par. XXII. 1. Conf. 2. Sam. XXIV. 1. Sed nec  
 E 2 opus





opus est varias comminisci interpretationes, quibus ab  
 erronea illa atque improba sententia distinguamur. Id  
 solum ago, ut ostendam, quoquo ieris, non habiturum  
 te, ubi consistas. Malim ego verbum in sua significatione,  
 non aliena. Aqua purior in fonte, & hinc illic tutior.  
 Græcum igitur vocabulum ἐξηγεῖρα ex fontibus erit ex-  
 plicandum: \* ubi habetur ἤστησά σε, unde quidem for-  
 tasse iterum duplex sensus. Primus est, *Stare te feci*: quem  
 ita explico. Deus gratia sua, quam contumeliosè rex  
 repulerat, ipsum spoliavit, juxtaque proprium arbitrium  
 vivere permisit. Quasi diceret, sustentaturus eram te, ne  
 labereris: sed subtraxi manum. Te tibi reliqui: deserui.  
 Quis autem ille, quem Deus deseruerat? itaque pernici-  
 em, quam sibi contraxerat fuit expertus in Israëlitarum  
 commodum, & Dei gloriam. Pater qui filium immori-  
 gerum habet, nec respicit eum, sed curam ab ipso & ma-  
 num retrahit, magis magisque ruere ad deteriora vide-  
 bit, donec tandem perit in iis, ac se demergit. Simile  
 hic de Deo. Alter: in quo tutissimè acquiescemus: *Re-  
 stare vel permanere te feci*, qui huc redit: justo meo iudicio  
 in primo vel secundo peccandi actu te statim punire &  
 submergere potuissem, sed ex gratia te vivum & super-  
 stitem reliqui, ac tempus ad conversionem dedi; quam  
 cum minimè quæreres, tandem hunc in usum te servavi,  
 εἰς αὐτὸ τῆτο, ut interitus tuus inserviat illustrandæ gloriæ  
 meæ: Nam \* εἰ ἢ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν, καὶ  
 γνωρίσαι τὸ δυνατόν αὐτῆ, ἠνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ  
 σὺν ὀργῆς κατηλιμῶσα εἰς ἀπολείαν. Quod autem Deus  
 sincerè Regis conversionem voluerit, patet ex ipsâ histo-  
 ria: toties enim ipsi verbum suum & voluntatem annun-  
 ciavit, toties per miracula emolliri voluit, quoties legatos  
 suos Mosen & Aaronem ad illum misit. Rectè igitur  
 Petrus: \* Deus μακροθυμῆι, inquit, εἰς ἡμᾶς, μὴ βελομήρως  
 πινᾶς ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι. Et  
 aptissimè Gentium ille converter, \* ἢ τῆ πλεῖστα τῆς χρε-  
 σότη

\* Exod. IX. 16.

\* Rom. IX. 22

\* Epist. II. cap. III. p. 9.

\* Rom. II. 4.





ἑστῆτος αὐτῆ καὶ τῆ ἀνοχῆς καὶ τῆ μακροθυμίας καταφρονεῖς,  
 ἀγνοῶν, ὅτι τὸ χεῖρόν τῆ θεῶ εἰς μετάνοιαν σε ἄγει. *Quam-*  
*diu enim, juxta vetus verbum, anima huic agro est, spe-*  
*randum. Sed comparatum erat cum Pharaone, ut*  
 tempore Jeremix cum Israëlitis; qui cum videret cona-  
 tum omnem frustra esse pro conversione, mæstus ita  
 conqueritur: \* *O Jehouah, oculi tui nonne spectant ad fidem?* \* *cap. V. g.*  
 ἑμασίγῳτας αὐτῆς, καὶ ὅσα ἐπόνεσαν, συνετέλεσας αὐτῆς, καὶ  
 ὅσα ἠθέλησαν δεξασθαι παιδείαν, ἐστρέωσαν τὰ πρόσωπα αὐ-  
 τῶν ὑπὲρ πέτραν, καὶ ὅσα ἠθέλησαν ὀπίσθρα Φῆναι. *Sed ne-*  
*fcis, mi homo, nescis? quod* \* *κατὰ τὴν τὴν σκληρότητα* \* *Rom. II. 5.*  
 σε καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζεις σταντῶ ὀργῶ ἐν ἡ-  
 μέρα ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τῆ θεῶ. Et ita  
 tandem Pharaonem Deus punivit, suam verò gloriam  
 multorumque Ethnicorum hoc audientium salutem  
 inde elicuit. Ut enim ad privatam cujusque securitatem  
 privati furis aut sicarii supplicio opus est: sic ad publi-  
 cam, illustri aliquo & communi. Nam animadversio-  
 nes istæ in tyrannos, & orbis terræ latrones, aliquando  
 interveniant necessum est, ut exempla sint quæ admone-  
 ant,

εἶναι δίκης ὀφθαλμῶν, ὅς τὰ πάνθ' ὀρεῖ.

Quæ aliis regibus populisque inclament,

*Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Plura habes quæ objicias? imò verò plura. Deus enim pec-  
 catis peccata punit, secundum vulgare dictum. Sed an  
 ut auctor punit, an verò ut director? noli auctorem di-  
 cere. Nonne, inquis, mala hæc & calamitates clarè sco-  
 rum nocendi habent peccandique? habent, fateor, si ho-  
 mines spectas: non habent, si Deum. Quod ut planè &  
 plenè capias, opus mihi illato quodam lumine distin-  
 ctionum. Duplices divinæ calamitates. Aliæ MERÆ,  
 aliæ MIXTÆ. Meras appello, QUÆ PURE A DEO  
 SUNT, SINE INTERVENTU VILLO HUMANÆ  
 MENTIS AUT MANUS; & hæc Deum habent auctorem.





Mixtas. QUÆ A DEO QUIDEM, SED PER HOMI-  
 NES ADMINISTROS. Harum igitur aliquando director  
 tantum est, non auctor. Illius generis sunt, fames, sterili-  
 tas, Terræ motus, Terræ labes, inundatio, Morbi, Mortes.  
 Istius, supplicia Tyrannides, bella, oppressiones, cades. In  
 illis pura omnia & liquida, quia haustæ è purissimo fonte.  
 In istis sordium admixtum aliquid non negaverim, quia  
 apfæ & derivatæ per impurum hunc adfectuum canale.  
 Homo iis intervênit: quid miraris si noxa & peccatum,  
 illud mirare potiùs, quod tam provida Dei benignitas est,  
 ut illam ipsam noxam in salutem nostram vertat, & pecca-  
 tum in bonum. Sed cur inquires, malorum opera Deus uti-  
 tur? cur ipse calamitates eas bonas non immittit, aut sal-  
 tem per bonos ministros? Vaga mens, quid per hanc  
 curiosam curam tibi vis? tangere cœlestes illos ignes? li-  
 quefces. Scandere in Providentiæ arcem? cades. Ut  
 papiliones, & minuta quædam animalcula vespere lucer-  
 næ lumen idemtidem circumvolitant, donec amburan-  
 tur: Sic humana mens lascivit circa arcanam illam flam-  
 mam. Ut ii qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amit-  
 tunt: Sic mentis omne lumen, qui eam intendunt in  
 hoc lumen. Curiosè igitur, mi homo, quæris: nec scio,  
 an arcana illa certò expediam; ignotiora enim illa, & re-  
 motiora quam ut humanæ mentis vestigium firmiter ea  
 premat. Per nubem duntaxat video: & suspicari mihi  
 de iis jus, non scire: ambire, sed non adire. Hoc scio,  
 constare illi rationem sui facti, etiam cum de ea nihil no-  
 bis constat. Et tamen quid hic miri, aut novi? Ecce præ-  
 ses provinciæ in noxium aliquem cum lege agit: agi ju-  
 bet per lictores suos, aut ministros. Pater in magna  
 familia interdum filium ipse castigat, est cum servo id mu-  
 nus mandat aut pædagogò. Cur Deo non idem jus sit?  
 cur non ipse, cum visum, sua manu nos verberet: cum  
 aliter visum, aliena? Nihil enim hic injuriæ aut noxæ.  
 Servus ille iratus tibi est? animum adfert, nocendi pec-  
 candi-



sandique? nihil refer. Tu illo omisso ad animum respi-  
 ce ejus qui vult te castigari, non jubet illum peccantem  
 animum adferre. Pater enim certè exactor adstat: nec  
 plagulam unam tibi superaddi sinet, ultra præscriptum.  
 Quanquam & hîc cavendum, ne putes, Deum reverà ju-  
 bere hostes nostros, homines improbos ut in nos impe-  
 tum iniquum faciant. Passionem nostram vult; non illam  
 actionē, quæ ex parte agentium mala est. Neque opus est  
 ut jubeat Deus illos malè agere, qui mali sunt. Si fræna  
 laxet, si objiciat eis, aut in manus eorum hos venire si-  
 nat, in quos petulantiam suam exercere queunt: suffi-  
 cit illis, ut agant, atque ut nos patiamur. Sed spina  
 adhuc, inquis, mihi illa in animo, quæ alios quoque pu-  
 pugit, de maledictione Simei.\* At responsio in promptu  
 est. Quod autem de illa alii habent omitto; hoc addo:  
 sed breviter. Deum non præcepisse Simei actionem, ut  
 malediceret: sed voluisse ut maledictio ista haberet ra-  
 tionem pœnæ Davidis, malitiam, quam Deus in Simei  
 inveniebat, ita dirigens, ut DAVIDEM ei objiceret, in  
 quem verti per se ipsam posset. Et hinc non omni atten-  
 tione indigna verba Sacri textus, quæ David de se inquit:  
*Deus jussit eum*, dicit, non, ut malediceret, sed de se i-  
 pso, *Maledic DAVIDI*. Addo: Deus ipse Principi sui  
 populi maledicere prohibuit, Exod. XXII 35. Quod si  
 etiam David certò secum statuisset, à Domino facinus i-  
 stud fuisse profectum, Salomonem non jussisset pœnam  
 de isto maledico sumere, quod tamen fecit. 1. Reg. II. 9.  
 Imò repeto, quod dixi, permissionem Dei in sacro codice  
 ejus actionem vocari, non adeò inauditum esse, aut mi-  
 rum. Deus igitur jussit Simei, id est, à Satana juberi per-  
 misit. Cætera, quæ objicias, ex jam dictis; si repetes ea  
 seriò & ruminabere, haurient lucem: vel ex distinctione  
 inter mala culpæ & pœnæ. Quod autem de Reprobatio-  
 ne Esavi mihi opponas, velim probes de æterna esse ser-  
 monem, aut ostendas ex sacro codice æternas illum luis-  
 se

\*2. Sam. XVI.  
10.





( 40. )

se pœnas : de temporali affirmo, conf. Mal. I. & totus contextus: qui de benedictione temporali loquitur. Urges verba Apostoli, Rom. IX. 11? Certè sequens v. 12. temporalia regeret. Addo: Deum, qui ab æterno omnia præscit, hæc dixisse in eventum rei: quia, quòd sic & non aliter eveniret, antea præscivit. Absint igitur à piis mentibus *Φοβηθὲν* illa *ἀνίσματα*: claude, si sapias, de Deo ut peccati auctore os & oculos: Meliora cogitanda, cum querela illa iniquitatis erumpit, & ad pia semper vertenda mens. Quod si scandat ad subtiliora nimis, Tu tantum æquus in eum sis: nec Judicem tuum inaniter accusa, ipse ab eo judicandus.

### CAPVT VI.

*Ad ordinem modumq; Providentiæ divinæ in peccatis transitum. eum triplicem esse. Tripliciter iterum primus modus consideratus. Mox paulò fusiùs de præscientia. De qua offensum accuratiùs, quomodo vim non inferat voluntati. eamq; à Decreto differre.*

**S**uperavi jam omnes quæstionum illos scopulos, & Splenis jam velis inveni mihi posse videor in portum. Benè habet, inquis. Si autem non ut peccati auctor, quomodo igitur Deus sua Providentiâ in peccatis versatur? Id jam Explicandum. Triplex erit mihi ordo: ante, in, & post opus. Sive, quod idem est, in facti ingressu, progressu, & egressu. Ante opus Deus circa peccata versatur præsciendo, Naturam in Naturali conservando, impediendo. Præscit enim Deus omnia ab æterno; eaq; præscientia ipsius *θεοπροπῶς* intelligenda est: non successive, sed ut præsens visionis scientia. Nam \* *ὅσα ἐστὶν κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ πάντα ἢ γυνὰ καὶ τετραχελισμῶρα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.* Hæc autem præscientia duplex est:  
**VISIO.**

\*Heb. IV. 13.





VISIONIS & INTELLIGENTIÆ SIMPLICIS. Illam appello, **QUA DEUS VIDET QUID QUID REVERA FUTURUM EST.** Hanc: **QUA PRÆSCIT QUID QUID POSSIBILE, ET SI NON FUTURUM EST;** Interjacet ea quæ peculiari nomine *scientia media* appellatur à nostris Theologis. Scilicet quæ Deus cognoscit, quæ reverà quidem futura non sunt; futura tamen essent, si conditio quædam ponatur, quæ actu non impletur. Unde quòd objectum, non sub ratione meræ possibilitatis, nec tanquam absolutè loquendo futurum; sed futurum sub conditione, obversatur menti divinæ: peculiaris appellatio quæ sita est. Hujus generis est captura Davidis, si Kegilæ mansisset 1. Sam XXIII. 4. & pœnitentia Tyriorum, si vidissent miracula, Matth. XI. 21. Sed ad Providentiam strictè & propriè non pertinet *scientia media*, quia quæ futura non sunt, ea curæ & conservationi non subjiciuntur. Licet autem ejus objectum à Providentia planè excludo, non tamen ejus concursum. Nam captura ipsa Davidis, si Kegilæ mansisset, objectum Divinæ providentiæ non fuit; sed tamen juxta eam scientiam, qua prævidit Deus capiendum Davidem nisi urbe excedat, ejus securitati prospexit. 1. Sam. XXIII. 12. seqq. Sed non me hæc latent, inquires, non effugiunt: En potiùs difficiliori rursus ambiguitate confundor: Fumus iste acer adhuc mihi in oculis. Nimiùm adversari ac repugnare videtur, prænoscere universa Deum, & esse ullum humanæ libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest; evenire necesse est, quod providentia futurum esse præviderit. Quare si ab æterno, non facta hominum modo, sed etiam consilia voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas: neque enim vel factum aliud ullum, vel quælibet existere poterit voluntas, nisi quam nescia falli providentia Divina præsenferit. Nam si res aliorum, quam provisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia, sed opinio potiùs incerta: quod de Deo nefas credere judico. Ideoque redit ambiguitas de auctore peccati, quia enim Deus præscivit hominem peccaturum, non potuit non peccare. Atqui ita peccatum Deus decrevit, jam

F

nihil



nihil decrevit, quod futurum non voluit. Itane iterum mihi exorbitas? nolim. Vetus hæc, scio, est de Providentia quærela, olim à M. Tullio, cum divinationem distribuit, vehementer agitata: sed haudquaquam ab ullo vestrum hæctenus satis diligenter, ac firmiter expedita. Cujus caliginis causa est, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ Præscientiæ simplicitatem non potest admoveri: quæ si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui: quod ita demum patefacere, atque expedire tentabo, si prius ea, quibus moveris, expediero. Dixisti omnia esse fatalia, vel absolute necessaria, quia Deus præscit immutabiliter, & hinc non esse liberum arbitrium. Sed velim hic cogites; licet Dei scientia sit certa & immutabilis, adeo, si quando Deus scit rem esse, necesse sit eam esse (à posteriori) rebus tamen futuris (à priori) non adferre necessitatem absolutam: quia res, quarum est præscientia, sunt mutabiles & contingentes, ita ut res quadam sua natura & respectu suarum causarum poterat aliter esse, tumque Deus aliter prævidisset; cum enim Deus hominem creavit, liberum creavit, & quid liberè acturus esset, V. G. quod peccaturus, prævidit. Inde verò minime peccavit Dei voluntate, aut decreto, vel necessario, necessitate consequentis. De quibus paullo inferius. Si autem homo non fuisset peccaturus & peccasset, Deus aliter quam nunc prævidisset. Hac rerum contingentia in Scriptura probatur, quoties libertas humanæ voluntatis prædicatur; præmia bonè agentibus, pœnæ & reprobis constituuntur; bona laudantur, mala reprehenduntur. Adeoque firmum illud stat, & validum, quodque maximè hîc cogitandum: Præscientiam inharere rebus mobilibus. Quo illud adsignifico: illam ipsam scientiam etsi immobilem, motum tamen in situm & naturam non tollere à rebus: Sed quemadmodum quidque in tempore acturum aut futurum est, ita tanquam acturum aut futurum, à Deo cognosci: quæ per causas necessarias futura, ut necessaria: quæ per contingentes, ut contingenter: quæ per liberas, ut libere futura. Itaque constanter nec timide affirmandum, necessario omnia fieri quæ præscita sunt, necessi-





necessitate scilicet consequentia. Acute Boëthius (quem velim hic maximè consulas, lib. V. de conf.) *At nos illud demonstrare nitamur, quomodo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiam si præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre. Etenim si quispiam sedeat, opinionem, qua eum sedere conjectat, veram esse necesse est: Et è converso rursus, si de quopiam vera sit opinio, quoniam sedet, eum sedere necesse est. In utroque igitur necessitas inest: in hoc quidem sedendi, at verò in altero veritatis. Sed non idcirco quisq; sedet, quoniam vera est opinio: sed hæc potius vera est, quoniam quempiam sedere præcessit: ita cum causa veritatis ex altera parte procedat, inest tamen communis in utraque necessitas. Similia de providentia, futurisque rebus ratiocinari oportet. Sed neque hoc omittendum censeo, non esse necesse, nos aliquid facere, quia Deus præscivit: sed quia nos mali quiddam propria voluntate sumus facturi, ideò Deus præscivit. Conf. Boëthius l. c. Debet enim esse objectum, circa quod scientia versatur: Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas: statuamus nullum esse peccatum. Num igitur erit peccati præscientia? minime. Morbus à Medico prævisus non ideò venit, quia prævisus est; sed ideò prævisus, quia certò venturus. Ita Solis vel Lunæ obscuratio ab Astronomo prædicta non fit propter prædictionem: sed prædictio facta, propter certum rei eventum. Prophetæ hominum peccata vaticinantur: quæ peccata deinde non ideò eveniunt, quia prædicta, sed ideò prædicta, quia certò esse ventura Deus prævidit. Simile hic dixerim. Ubi accuratè attendas ad discrimen illud inter consequentis necessitatem, & consequentia, neque ita facile tunc aberrabis. Sed præposterum, inquires, est, ut æternæ præscientia temporalium rerum eventus causa esse dicatur. Præposterum, fateor: Neque hic rerum eventus præscientia causas statuo, sed ejus objecta potius. Ideòque divinam te præscientiam non posse vitare scito, sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te in varias actiones libera voluntate converteris. \* Quid igitur, inquires, ex meâne dispositione scientia Divina mutabitur, ut cum ego nunc hoc, nunc illud velim, illa quoque noscendi*

\*Boëthii verba in fine lib. V. de conf.

203





vices alternare videatur? minime. Omne namque futurum divinæ  
 præcurrit intuitus, & ad præsentiam propria cognitionis retorquet ac re-  
 vocat, nec alternat, ut tu existimas, nunc hoc, nunc illud præoscendi vi-  
 ces; sed uno ictu, mutationes tuas, manens, prævenit atque complectitur.  
 Quam comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum  
 proventur rerum, sed ex propria Deo simplicitate sortitus est. Ex quo  
 illud quoque resolvitur, quod paullo ante posuisti indignum esse, si scien-  
 tia Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientia vi-  
 præsentaria notione cuncta complectens, rebus omnibus modum ipsa  
 constituit, nihil verò posterioribus debet. Quæ cum ita sint, manet in-  
 temerata mortalibus arbitrii libertas. Addidisti: Quia Deus præ-  
 scivit hominem peccaturum, ideo decrevit. Itane præsci-  
 entiam omnibus modis idem esse cum Dei decreto & volun-  
 tate putas? falleris, mi homo. Qui eam cum decreto ipso &  
 voluntate, re & nomine misces. Nec ignoravit hoc Dama-  
 scenus, cum *ωεγγνώσκες*, inquit, *πάντα, ἀλλ' ἔ πάντα ωεγοεῖς*.  
 Recte. Nam præscit Deus quædam, quæ nec facere nec per-  
 mittere decrevit: ita præscit cives Kegilæ Davidem tradi-  
 turos, 1. Sam. XXIII. 12. atqui non decrevit. Conf. Matth. II. 13.  
 & cap. XI. 21. Alia præscit, quæ quidem permittere non  
 verò facere decrevit, ut peccata: absit autem ea decrevisse, aut  
 velle. Præscit prodicionem Judæ (& quidem voluntari-  
 am) non verò prædestinavit: ipse enim fur erat, & avarus:  
 Joh. XII. 5. 6. quibus vitiis ut mediis Satanas est usus, ut ad  
 prodicionem impelleret. Luc. XXII. 3. 4. imò cum adhuc (cum  
 Petro) posset verà pœnitentia converti, ipse abiit &c. Matth.  
 XXVII. 3. Act. I. 25. quare vocatur *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας*. Joh.  
 XVII. 12. Ponimus igitur præscientiam sed à decreto diver-  
 sam, & in gratiam etiam eam reducimus cum arbitrii li-  
 bertate Præscientia est & decretum? sed prima nempe caus-  
 sa. quæ ad eò secundas mediasque non tollit, ut non nisi (or-  
 dinatim quidem & \* *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον*) per eas agat. At in-  
 ter secundas etiam voluntas tua est: quam fuge credere, ut  
 Deus ille cogat, aut tollat. Hic error omnis in ista re, hæc nu-  
 bes: quod homo nescit, aut non cogitat, se velle, quod no-  
 vit præscientia, aut voluit decretum: & dico, non cogitat se  
 libere

\* ut pluri-  
 100 1070.





liberè velle. Deus enim ille, qui res creavit, rebus utitur, sine corruptione rerum. Sicut supremum illud cœlum inferiores omnes orbis ita secum ducit, ut proprium eorum motum non abrumpat, aut sistat: sic Deus præscientiæ impetu & decreti humana omnia trahit, sed peculiarem cujusque vim aut motionem non tollit. Arbores & fruges voluit crescere? crescunt sine ulla vi, per naturam. Homines deliberare, eligere? Deliberant sine ulla vi & eligunt, per voluntatem. Et tamen hoc ipsum quod electuri fuerunt, vidit ipse ab æterno: sed vidit, non coëgit: scivit, non sanxit: prædixit, non præscripsit. \* Boethius, ut solet, ad hanc rem aptè & altè, *sicut scientia presentium, nihil his, quæ sunt: ita præscientia futurorum, nihil his, quæ ventura sunt, necessitatis importat.* Quid titubant hic nostri curiones? Miselli! non alius mihi locus videtur in clariori luce. Nisi quòd petulca ista mens idem talem se scalpit & exasperat mala quadam scabie infecta litigandi & differendi: ne respiciens elicitam ab alto pectore hanc Catonis Vocem, *Res divinas multum habere caliginis.* Quomodo enim, inquiunt, si Deus prævidit peccatum me, nec falli prævisio illa potest, non necessario peccem? fateor, necessario: sed necessitate sequelæ, sive, quod idem, infallibiliter: non enim pro tua mente: libera voluntate hic interveniente. Nempe hoc prævidit, quod eo modo sis peccaturus, quo prævidit: prævidit autem ut liberè: igitur necessario, seu infallibiliter liberè peccas. Satin' hoc clarum? & ita etiam contingentiæ præscita sunt necessario, sed tamen contingenter. Necesario contingenter? Ita: sed necessitate sequelæ, minimè absoluta. Denique concludam de hac libertate. Multi enim propius nimis adnavigarunt hanc scyllam, in quam trahebat aut pellegebat eos mentis illorum naufragus ventus. En Ciceronis naufragium! qui Providentiam\* maluit tollere, quam delibare aliquid de humana libertate. *Ita dum homines liberos fecit (ait eleganter Augustinus), fecit sacrilegos.* Sed id tamen antequam finio de hac libertate observes velim: Providentia veluti præfultor est, & funem ducit in mundi ista chorea: sed ita, ut partes aliqua nostræ sint volendi semper aut nolendi.

\* lib. V. de  
conf.

\* in libris de  
Divinat.

204





Nec ultra. Non quidvis efficiendi, aut providentiam ipsam reddendi irritam: quia arbitrium saltem relictum homini, quo reluctari & obniti Deo libeat: non vis major, qua ultra aut supra providentiam Dei possit. Ut in navi ambulare mihi fas, & per foros discurrere aut transtra, sed nihil minus hic motus valet, ut impediatur ejus cursus: Sic in Providentiæ hac navi, qua omnes vehimur. Currant licet voluntates nostræ & transcurrant, non via eam ejicient aut sistent. Temperabit & habenas moderabitur semper suprema illa voluntas: & quo visum erit cumque, cursum hunc diriget leni quodam fræno.

## CAPVT VII.

*De natura in naturali statu conservatione; quod alterum primi modi membrum. In ea quoque ostensum inter actionem ipsam & ejus vitium discrimen accuratè esse notandum.*

\* Act. XVII.  
28.

\* hic quæso,  
rumineris ea,  
quæ in princ.  
quæ in princ.  
de motu omni  
qui à Deo.

**S**ed ab implicito hoc flexu redeo in veterem & apertam viam. Ordo me monet, ut transeam ad illud, quod Deus naturam in naturali conservet: ne enim id faceret optimus parens, ne digitulum homo posset movere. Unde dicitur: \* ἐν αὐτῷ ζῶντι, καὶ κινῶμεθα, καὶ ἐσθίον. Sed hic accuratè distinguas inter motum sive actionem ipsam, & motus illius seu actionis vitium. Actio ipsa, prout est actio, non est peccatum, nec ullo modo dici potest. Aliàs enim omnes actiones essent peccata. Hæc à Deo dependet, hanc Deus suppeditat. Aliter verò sese habet actionis vitium, quod à Deo esse nequit, quia est defectus ab illo, qui deficere à se ipso non potest, & quo iste motus & influxus Dei quasi detorqueatur. Hoc igitur à Deo non est, sed à liberè aversâ corruptaque hominis voluntate, quæ deficit. \* Vis rem exemplo declarem? Fur manum extendit ad furtum: iste motus & extensio manus per se considerata competit non tantum homini, qui manum extendit, sed Deo quoque, qui hominem ita condidit, & adhuc sustentat, ut manum suam movere & ex-





σε (47.) ρω

extendere possit. At ἀταξία (furtum scilicet) ad motum  
accedens tribuitur minimè Deo, qui hominem condidit, &  
adhuc sustentat non ad furtum & malitiam, qua perderetur:  
sed ὁ θεὸς ἐκλίσσε τὸν ἀνθρώπον ἐπ' ἀφθαρσία, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας  
ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτὸν. Sap. II 23. Sed meritò perversæ furis  
voluntati, generali Dei influxu abutentis, & suggestui Sata-  
næ obedientis. Conf. v. 24. Addit Augustinus simile ab homi-  
ne claudo, cujus claudicatio oritur non à virtute motivâ ani-  
mæ, quæ vitali sua operatione in parte manca æque adest, ac  
in alia: sed à luxatione & inhabilitate tibiæ. Addo: Quod Solis  
radii rubrum vitrum transeuntes rubei coloris appareant, id  
Solis non culpam esse dices, sed vitri: & vitium Scripturæ exa-  
rata ab optimo Scriptore nō in ipso quærendum, sed in bibula  
charta, aut malè temperato calamo. Ita de Deo sentias, cui ca-  
ve imputes peccata, quòd auxilio generali ad ea concurrat:  
verius imputes nobis, qui deflectimus & claudicamus ab ipsi-  
us lege. Causa enim non efficiens, sed deficiens, ut toties  
dixi, quærenda: quæ minimè cadit in Deum.

## CAPVT VIII.

*De membro tertio primi ordinis, quod est de peccatorum impe-  
ditiōe. Ea fit vel verbo, vel aliquando vi externa. Quæ be-  
neficium, etsi nonnunquam castigatio, in bonos: in malos,  
punitio.*

**V**Eniam ad tertium, quod nempe Deus rebus huma-  
nis providens circa peccata hominum versetur impe-  
diendo: non semper vi & operatione irresistibili, sic e-  
nim coleretur ab hominibus non aliter ac à brutis, elementis,  
& rebus inanimatis; quas ipse ad quidquid vis disponas neces-  
se est. Liberum exigit à nobis cultum, ac rationalem: non  
coactum. Ideoque verbum tradidit, ac leges: minas addi-  
dit, iisque impedire voluit. Liberè tamen homo agit: li-  
berè peccat. Interim sæpius vi Deus impedit. Quod agit vel  
ejus bono quem impedit, tumque beneficium est, & castigatio:  
vel malo, tunc punitio. Flectitur etiam impeditio illa inter-  
dum



dum in bonum alterius, in quem malus actus, ni foret impeditus, cecidisset. Benefaciendo, inquam, impedit, vel puniendo: de illo prius dicam, quò nego aliud melius reperitum ad arcenda pericula, aut ea quæ impediunt nostram salutem. Juvat enim servatque dupliciter: sive flagelli loco cum peccavimus; sive frœni, ne peccemus. Flagelli quidem, quia paterna manus est, quæ lapsos crebrò verberat: (lapsos enim castigat, improbos verò punit) carnificis, quæ tardè sed semel punit. At frœnum opportunè injicit, cum videt peccaturos. Ut medici sangvinem interdum providè demittunt, non quia æger sis, sed ne ægrescas: sic Deus per hæc impedimenta quædam nobis adimit, materiam aliàs & fomittem vitiorum. Novit enim ille naturas omnium, qui condidit: nec ex venis aut colore de ægritudine judicat, sed è pectore & è fibris. Solet aliquando ipsa impeditio peccati, quandoquidem fit per subtractionem bonorum, quibus delectabimur: simul autem abusuri eramus, nisi auferrentur, aut immissionem malorum tristium, quibus homo avertitur à prosecutione bonorum jucundorum, aut perficiendo consilio; castigationis nomine cenferi. Atque hîc, si hominum sortem intuearis, magna varietas apparet. Itaque cur, inquires, unus diutius castigatur & adfligitur quam alius? illud cogita, mi homo: ut maximè ita sit, nec malum tamen aliquid hic esse, nec iniquum. Non malum: quia illorum ipsorum bono fit, qui castigantur statim vel in minimis noxis. Dilectio illa divina est: & jure semper suspecta tarditas, cui gravior punitione adhæret. Non item iniquum: quia pœnam omnes meruimus: nec unquam vel in optimis illa puritas, ut non maculæ aliqua supersint falsâ hac aquâ castigationis velut eluendæ. Quamobrem mitte hanc quæstionem: stultè enim & verè æger, tu prudentia ante Deum es? Dic mihi, cur medicus aliquis huic plus absynthii aut ellebori miscet, quam illi? nempe quia morbus ejus id postulat, aut natura: idem in te cense. At tibi ita non videtur. Valdè scilicet id refert! Ne parentes quidem puero cultrum aut ferrum in manu relinquunt, etsi valdè se adfluctanti: prævident enim læsionem.





tionem. Cur Deus nobis perniciem indulgeat, qui verè pueri, nec salutaria gnari sumus petere, nec abjicere nocitura? si voles igitur, & quantum voles, plora. Bibes nihilominus illud poculum mætorum, quod non temerè tam plenum tibi cœlestis ille medicus propinat. At punitio ad malos spectat: non tamen mala. Bona enim primo, si Deum respicis: cujus justitiæ æterna & immota lex postulat, peccata hominum aut emendari, aut tolli. Castigatio autem, quæ abluere possunt, emendat: quæ nequeunt, Punitio tollit. Bona iterum, si homines spectes. Quorum stare aut perennare hæc Societas non potest, si violentis scelestisque ingeniis omnia sint impunè, & nihil impeditum. Bona tertio, si eos ipsos spectes qui puniuntur, hoc respectu: quatenus cohibitio hæc quædam à scelere est & repressio: quod ita amant, ut nisi sectione ab eo non avellantur. Denique pœna omnis bona, justitiæ adspectu: sicut plena impunitas mala: quæ efficit ut diutius scelesti, id est, miseri vivant. Acutè Boëthius, *Feliciores esse improbos supplicia luentes, quam si nulla eos justitiæ pœna coerceret.* Et causam dat, quia bonum aliquod iis accessit (pœna videlicet) quod in reliquo cumulo criminum non habebant.

## CAPVT IX.

*Alter ordo actuum providentiæ divina, qui est de malis non statim punitis. Quos differri docemus, non dimitti: id quod vel hominum respectu, vel Dei: qui ad supplicium lentus. cur tamen impares pœna: monitum, inquisitionem ab homine remotam eam esse: impiam: non curiosè indagandam. Denique ostensum frangi & temperari peccatorum vim à Deo.*

**S**ed ab ordine, quem cœpi, non abibo: eundem exsequar: & limites tenebo quos semel finivi. Tres, ut scis, velut ordines mihi facti: è quibus priorem, qui de cura divina in ingressu, sive in peccatis antequam perpetrata, jam produxi:

G

duxī:



duxī : progrediar igitur ad alterum, quomodo scilicet in  
 progressu, sive in ipso actu versetur. Quod fit primò per-  
 mittendo: licet extraordinariè punire statim posset, ac sapiùs  
 etiam puniat. Neque hic valet objectio, Deus peccata per-  
 mittit aut volens, sicque approbat, & delectatur: aut no-  
 lens, sicque invitus: quis autem qui Deum cogat? quia,  
 jam superius soluta. Permittit Deus; quatenus ipsum pec-  
 catum non quidem vult, & approbat  $\psi$ . V. 5. Interim ta-  
 men non impedit, ut 2. Par. XV. 2.  $\psi$ . LXXXI. 13. Hof. IV. 16.  
 Sed, inquis, cur Deus non impedit; cur peccata non punit,  
 qui abhorret à peccatis: cur potius tanquam somnolentus, &  
 quasi nihil curans permittit? Malos igitur divina ultio malè  
 præterit? Minimè præterit: imò, ut sentio, differt. Et hic  
 secundus modus est, quo Deus in progressu utitur: percus-  
 sionem scilicet illam differendo, sive peccata tolerando. Ita  
 ut pœnis aut morte statim peccata non puniat, idque ut hæc  
 bonitate sua ad pœnitentiam vocet, conf. Rom. II. 4. 2. Pet. III.  
 9. Huc quoq; facit exemplum Pharaonis, quod jam adduxi.  
 Quid, quod tarditatis istius rationes existant: aliæ, quæ  
 nos tangunt: aliæ, quæ ipsum Deum. Illas dixi superius.  
 Has nunc proferam: Deo enim videtur insitum, ut lento  
 gradu ad vindictam sui procedat, tarditatemque supplicii  
 gravitate compenset. Benè Synesius: \* τὸ θεῖον ὁλοῦν καὶ  
 τὰ ζῆα βαδίζου. Nec malè præsci, qui ab hac mente Deos fin-  
 gebant laneos habere pedes. Ut quantumvis fervidus &  
 vindictæ properus sis, non videaris ægre ferre debere hanc  
 moram: quæ ita pœnæ intervallum est, ut sit & augmentum.  
 Dic mihi, tragœdiam si spectes, an indignere, si Atreus ille aut  
 Thyestes, in primo alteroque actu, sublimes per scænam &  
 elati paulisper incedant, regnent, minentur, imperent? non  
 opinor. brevem enim felicitatem eam esse scias, & expectes ut  
 scedè mox ruant in extremo actu. In mundi hac autem  
 fabula, cur iniquior in Deum, quàm in Poëtam aliquem es?  
 ille impius floret, ille tyrannus vivit. Ita. Sed cogita pri-  
 mum hunc actum esse: & jam ante animo tecum percipe,  
 gaudium istud manere lacrymas & angores. Scena hæc mox  
 sanguine

\* Divinum  
 numen lentè  
 & ordine pro-  
 gressum.



sanguine diffluet, & volentur in eo purpureæ istæ auratæque vestes. Quamobrem hoc tene: differri aliquando impios, non dimitti: diffindi pœnæ diem, non tolli: nec crimen quemquam, in pectore gestare, qui non idem Nemesis in tergo. Sed, ais, illud miror, & non capio prorsus rem illam de imparitate puniendi: cur hi puniantur, hi non puniantur. Nec ego capio, vaga mens! quæ hæc curiositas? tu homulle, tu terrestris pedaneusque iudex Dei arcana capere desideras? tu me rapis ad causas? Cedo causas, inquis, cur divina ultio hos prætereat, illos tangat. Causas? tutissimè dicam me nescire. Non enim cepit me unquam Cœlestis illa curia, nec ego ejus decreta. Hoc tantum scio, causam ante omnes causas esse sapientiam & voluntatem Dei. Deo igitur hoc permitte, qui haut paullo æquius de ea re certiusque è superiore tribunali cognoscet. Ille est solus qui causas scit, ille qui sine ullo simulationum fuco aut cerussa omnia videt in vero suo vultu. Quis ei imponat, qui externa & interna pariter rimatur? qui corpus videt & mentem? qui linguas & fibras? aperta denique & operta? quique non facta solum ipsa, sed causas eorum & progressus videt in clara luce. At nos contra hæc in nube, *Summa igitur justitia est*, ut rectè Salvanus ait & piè, *voluntas Dei*. Tamen rationem aliquam hujus imparitatis exigimus, inquirunt. A quo? à Deone? cui unilicet quod libet: & nihil libet, nisi quod licet. Si servus à patrefamilias, subditus à Principe rationes exigat: ille contumeliam putet, hic rebellionem: tibi plus animi adversus Deum est? Apagete perversa curiositas. non aliter hæc ratio constat, quam si nulla reddatur. Et tamen cum omnia feceris: non evolves te tuis tenebris, nec ad consilia illa & consulta verè Tacita pertinges. Arcana enim hæc, arcana: & si sapimus, propius non tangemus sacrum illum ignem, cujus scintillas & stricturas quasdam videre homines fortasse possumus: non possumus ipsum. Abstineamus igitur censeo curiosæ & cum periculo quæstionis, & hoc saltem nobis stet, quomodo cumq; se recondita illa iudicia habeant; non culpanda ea nobis, sed ferenda imò verenda. Unam hanc tibi sententiam ingero, qua

07





manum Curionum omnium ori imponam, judicia Dei multa occulta sunt: nulla injusta. Nec ad texo plura de poenarum dilatione. Ad tertium in progressu Providentia modum, & postremum venio, qui consistit in determinando hanc permissionem, sive limitando extremè perversam pravitatem. Exempla præsto sunt: Gen. XIX. 11. Act. IX. 3. 4. 2. Macch. III. 24. 26. Egregiè huc hæc verba ipsius Dei: *Quoniam tu furis contra me, & tumultuatio ascendit ad aures meas: ponam hamum in naso, & frœnum inter labia, ac perducam te via illa, per quam venisti.* 2. Reg. XIX. 28. verè igitur Psalmista Ps. LXXVI. 11. Illud ergo mirare, quod limites quasi & terminos ponat Deus, quos prætergredi homines nequeunt. Vides Pharaonem, vides tyrannum illum, qui minas spirat & cædem? cui voluptas nocere est? qui perire ipse optet, dum perdat? Sine aberrabit à sua mente: & Deus occulto quodam fune inscium invictumque trahet ad suum finem: neque sævientem permittet, sævire in Ministros, & turbam fugitivam. Ut sagitta ad emitentis scopum pervenit, sine ullo suo sensu: sic impii isti. Frænata videlicet coërcetque humanam omnem vim suprema illa vis: & exerrantes eorum gressus dirigit ad salutarem hanc metam. Ut in exercitu varii adfectus militum sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium: omnes tamen pro victoria & Principe pugnant. Sic omnes istæ voluntates bonæ malæque Deo militant, & inter varios fines venient tamen ad hunc, ut sic dicam finium finem.

## CAPVT X.

*Tertius ordo & postremus, de cura divina post factum. Deseri hominem: ac Satana tradit. Pœnas etiam postumas manere improbos. Hic vero si non semper externa, occultas tamen internasq̃: quæ graviores quam ullæ externæ. Finem item malorum semper dirigi in bonum, ubi dictum cur malorum opera in iis Deus utatur.*

Hi



**H**I duo illi ordines, quos peragravi: tertius superest. Post factum perpetratum, sive in egressu Deus curam suam declarat deserendo: Satanæ tradendo: æternis pœnis affligendo: bonum tamen, ex his pravis actionibus hominum eliciendo finem. De primo, prius. Cum jam homines neque per Deum impedientem, neque per Deum permittentem à peccato retrahi & avocari nolunt: sed spiritui sancto resistunt, seque ex una injustitia volvunt & conjiciunt in alteram, tum Deus sua gratia quoque deserit. Conf. 2. Par. XV. 2. Ex quo patet verè dixisse Augustinum, nunquam Deum hominem deserere, nisi prius deseratur ab ipso multis peccatis, atque gravissimis. Dixi Deum non prius deserere hominem. Et velim notes. Non enim patrum omnium pater à Deo fuit desertus ut peccaret; sed peccando promeruit, ut à Deo deseretur. Vis exempla hujus desertionis? adspice Saulum 1. Sam. XV. 26. cap. XVI. 14. intuere vineam, Jef. V. 1, 2. *Atque hoc fit ut cognoscereis abruptionem meam*, inquit Jehovah. Num. XIV. 34. Imò addam similia: Medicus propter incorrigibilem ægroti intemperantiam à cura sanationis desistet. Dux si videt milites suos temerario ausu hostibus se obtrudentes, nonne se subtrahet? Sic putem. Atqui idem hic facere Deum, cogites. Et ita hosti traduntur. Milites corporali, sed impii spirituali: ille corpus angit, hic animam. A quo tum ad omni-gena scelera compelluntur: quia ut executor Divinæ justitiæ traditos habet in potestate. Conf. Cor. IV. 4. Eph. II. 2, 2, Thess. II. 11. Nonne hæc satis? addam exempla: incitavit Davidem ad superbiam, conf. 1. Par. XXII. 1. cum 2. Sam. XXIV. 1. Pseudopphetas ad deceptionem. 1. Reg. XXII. 22. Judam ad proditionem, Joh. XIII. 2. Ananiam & Sapphyram ad mendacium, Act. V. 2, 3. Illa vetera sunt & pristina. Sed adhuc dum hodiè ita agit, vide hodierna Apoc XX. 7, 8. Et ita tandem postumis illis & æternis pœnis affliguntur, ni resipiscant.



Dicta probant, Prov. I. 24. Apoc. II. 5. Exempla illustrant, Antediluvianorum Gen. VII. Sodomitarum, Gen. XIX. Core &c. Num. XVI. En igitur, Deus *ὁ θεὸς ὁ ἀποδοῦναι ἐκείνῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ* Rom. II. 6. Atque ita Diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit pœnisque justis punit. Adhuc jam, ut superius, pergis in querela de non punitione: sine. Eant hic impune: sed gravior erit posthac pœna. Manent postumæ illæ & æternæ pœnæ. Sed quid querebare? quod multi hîc non puniantur? hem! an hic non puniuntur? Dic potius, puniri non video, illud concedo. Si enim desint externæ pœnæ, internæ irrogantur. Si hoc? quis cœlestem justitiam justè culpet? graviores enim illæ sunt, quam ullæ externæ. An tu solam eam punitionem censes, quæ incurrit in oculos? quæ corpusculum hoc subit? Non est. externa ista omnia leviter nec in longum nos tangunt: interna sunt quæ angunt. Ut magis in morbo judicantur, qui tabe aut marcore laborant, quam qui inflammatione aliqua aut febris & tamen hæ magis apparent: Sic in graviore pœna improbi, qui lento illo passu ducuntur ad æternam suam mortem. Mendicum aliquem in fabula vides, qui Regis personam sustinet, auratum & pulcrum: vides, sed non invides: quia latere sub auro illo scis scabiem, pœdorem, fordes. idem existima in magnis omnibus istis & superbis impiis. Caligula olim per sævitiâ imperare solitus. Ita feri, ut sentiat se mori: id istis evenit, quos carnifex ille animus quotidie minutis ictibus cadit & pungit. Rident illi sæpe, fateor: sed non verum risum. Gaudent: sed non germanum gaudium: non herclè magis, quam il, qui capitis damnati in carcere attinentur, & talis interdum aut tesseris fallere se conantur, nec fallunt. Manet enim impressus ille imminentis supplicii terror, nec tollit se unquam ab oculis imago luridæ mortis. Vide mihi, fodes, dimoto externorum isto velo, Siculum illum tyrannû. *Districtus ensis cui semper impia ceruice pendet.* Audi. \* Romanum illum lamentantem: *Diu me Deaque pejus perdant, quam*

\* Tibetius, de quo vid. Sueton cap. 67





quam perire quotidie sentio. Audi alterum ingemiscientem:

\* Ergo ego solus nec amicum habeo, nec inimicum? Hæc vera \* Svetonius  
 illa animorum tormenta, hi cruciatus, angi semper, in Nerone,  
 pœnitere, metuere: Hæc signa & præludia æterni im- cap. 47.  
 minentis supplicii: quibus cave compares externa; quæ  
 tamen certè non desunt. Nec factum unquam (cer-  
 tè rarò) quin apertè Scelesti & aliorum oppressores,  
 pœnas item luerint spectabiles & apertas. Alii citius,  
 alii ferius: alii in se, alii in suis. Adde jam huc,  
 quod bonum Deus ex his pravis actionibus homi-  
 num eliciat finem. Quod confirmant exempla Jo-  
 sephi Gen. L. 20, Pharaonis, Exod. IX. 16. Christi, quem  
 Judæi maligno animo cruci affixerunt: & Judæorum  
 Reprobatorum, Rom. XI. 11. Egregiè hoc Spinaeus de-  
 clarat simili de stercore, quo agri fœcundantur. Atque  
 eadem est ratio de tentatione & peccatis piorum, quo-  
 rum amicitia tandem flectuntur in usum. Ut osten-  
 dunt exempla Jobi, Jac. V. 11. Petri, quem peccare & ab-  
 negare Deus siverat, ut debilitatem suam agnosceret:  
 Pauli, 2. Cor. XII. 7. Sed cur tamen, inquis, Peccatum  
 bono admixtum, & adfixum divinis his sagittis adfe-  
 ctuum venenum? Ad asperum & arduum me collem  
 vocas in quem tamen enitar. Ut sapientiam potenti-  
 amque suam Deus ostenderet, melius judicavit, inquit ele-  
 ganter antistes Hipponensis, de malis bona facere, quam mala  
 nulla permittere. Quid enim eo sapientius aut melius, qui  
 e malo bonum potest elicere, & reperta ad perniciem ver-  
 tere ad salutem? Medicum quoque, laudas, qui Theriacæ  
 suæ viperam admiscet, saluberrimo effectu: in Deo cur im-  
 probes, si Pharmaco huic humanas quasdam noxas intem-  
 perat, sine tua noxa? decoquit enim certè & consumit ad-  
 junctum illud omne virus, arcano quodam Providentiæ  
 suæ igne. Denique ad potentiam ejus hoc facit & glori-  
 am, quò necessariò omnia ipse refert. Quid enim magis  
 vim ejus exprimat, quam quod non vincat solum oblu-  
 tantes sibi hostes, sed ita vincat, ut ad se traducat, & sua  
 castra





castra? ut pro ipso militent? ut arma pro victoria ejus fe-  
 rant? quod evenit quotidie, cum in malis Dei voluntas  
 sit, etsi non à malis: cum ea quæ contra voluntatem ejus  
 improbi faciunt ita flectit, ut tamen inde emergant bona,  
 non præter ejus voluntatem. Et quod potest Insignius  
 miraculum, quam (Boëthii verba sunt) *ut malos mali bonos  
 faciant?* Ecce ades paullum tu Attila, Ab extremo or-  
 be advola, sitiens sanguinis & prædæ. Rape, cæde, ure,  
 vasta. Sævitia hæc Deo militabit: nec aliud quam exci-  
 tatio Christianorum erit, qui vitiis aut delitiis immerfi ni-  
 mis aut sepulti. Quid vos duo Vespasiani? Judæam  
 Judæosque perditæ: capite & excidite urbem sacram.  
 Qua fini? vos quidem gloriæ & propagandi imperii: sed  
 erratis. Re vera lictores & satellites ultionis divinæ estis  
 in impiam gentem. Et exempla hæc ab omni ævo obvia,  
 ubi Deus per improbas aliorum cupidines, bonam suam  
 voluntatem exercuit: per aliorum injustitiam, exseruit  
 judicia sua justa. Quare miremur reconditam hanc Sa-  
 pientia vim, non rimemur. Jure exclamem, \* ὁ βασι-  
 λης πλάττει σοφίας ἢ γνώσεως θεῶν ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κριμα-  
 τα αὐτῶν, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτῶν. Τίς γὰρ ἔγνω νῦν  
 κυρίως; ἢ τίς σύμβουλος αὐτῶν ἐγένετο. ἢ τίς παρεδωκεν αὐτῶν,  
 καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῶν. ὅτι ἐξ αὐτῶν, καὶ δι' αὐτῶν,  
 καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.  
 αὐτῶν ἢ ὁδοὶ εἰς τὸν αἰῶνα. Ἀμὴν.


F I N I S.
















Farbkarte #13

B.I.G.



20

VIDAM DEI  
ECATA HOMINVM

VRAM,  
AD SISTENTE NUMINE  
MODERAMINE

VILIELMI BAJERI,  
D. EJUSD. FACVLT. IN  
SALAM ACADEMIA P.P.  
T h.t. DECANI,

*receptoris, Studiorumque suorum  
ve Hospitis omni Observantia  
obsequiosè colendi,*

ATIONE PVBLICA

E OSTENDET

AVCTOR

RVVS VERWEY,  
RDA BATAVVS

*tiü, Anno c1c 1cc LXXXIIX.*

DITORIO MAJORI. März 1688

GIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.